PALLAD:
CATAL:
HAERES:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

3, – 229

LN 1256
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

CATALOGVS ALIQVOT HAERESIVM HVIVS AETATIS, ET EARVM REFVtatio, Scripta,

A

PETRO PALLADIO DOCTORE THEOLOGIAE GVBERNANTE ECcleſiam Dei in inclyto Regno Danico.

VITEBERGAE EX OFFICINA PETRI SEITZII.

1557.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

MAGNIFICO VIRO NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA ET VIRTVTE PRAEſtanti, Domino Herluff Troll, Hereditario domino in Hildrisholm, præſidi in Roſchild in Regno Danico, Patrono ſuo colendo Philippus Melanthon, S. D

PRÆCIPVA cõſolatio eſt bonarum mentium in tantis generis humani confuſionibus, in tanta mole calamitatum, & in tanta gubernationis difficultate, firma fide retinere hanc ſententiam in Symbolo recitatam. Credo eſſe Eccleſiam ſanctam Catholicam, hoc eſt, Etiamſi multæ gentes abiectæ ſunt à Deo, & tantum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

ad æternum exitium naſcuntur, quæ uidelicet ſunt ignaræ Euangelij, ut Ethnici, Mahometici, & alij hoſtes filij DEI, Impiæ Iudæorum feces, Papiſtici idolorum cultores, & alij, tamen non totum genus humanum tantum ad æternum exitiũ naſcitur. Sed certum eſt uelle æternum patrem hæreditatem filio ſeruare, eam uidelicet partem in qua ſonat integra & incorrupta uox Euangelij, confirmata illuſtribus teſtimonijs à Deo, reſuſcitatione mortuorum & alijs. In hoc cœtu qui & oculis & auribus diſcerni poteſt ab alijs gentibus, certo ſciamus omnes recte inuocantes Deum, exaudiri, ſeruari protegi & gubernari ab eo.

In hunc cœtum cum Deus immenſa bonitate nos collocauerit, grati hoc ſummum beneficium celebremus, & læti opponamus hanc conſolationem omnibus confuſionibus generis humani, quæ mouent im-

pios

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

pios ut exiſtiment nullum eſſe homi-
num, religionum, uirtutum & uicio-
rum diſcrimen. Eſt Eccleſia in qua
Deus adeſt recte inuocantibus, quæ
quidem non exiſtimetur eſſe Idea
Platonica, Sed oculis cerni atq; iudi-
cari poteſt. Vult .n. Deus, ut ſinguli
nos in eam includamus, ſinguli ſimus
ipſius ciues, in ea inuocationem &
confeſſionem oſtendamus, iuxta di-
ctum: Beati qui habitant in domo
tua Domine.

Nec uero tantum externos hoſtes
habet hæc uera Dei Eccleſia, ſed eti-
am ciues habet infirmos ualde mul-
tos. Multi etiam ſediciosi ab ea defi-
ciunt, & fiunt parricidæ ut hæretici
quales multi fuerunt, ſunt & erunt
omnibus temporibus. Manet tamen
norma, uidelicet doctrinæ puritas,
quæ diſcernit ueros ciues ab hoſti-
bus. Id ſignum firmis mentibus in-
tueamur, & conſideremus qui fue-
rint ſingulis ætatibus, & qui nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

ſint, qui contraria dogmata ſparſerint, & refutationes teneamus. Sicut ciuis fidelis hoſtem nouiſſe & repellere debet.

Ac prodeſt labor eorum qui catalogos hæreticorum & refutationes ediderunt, Nam & ſuæ ætatis Eccleſias confirmauerunt, et præmunierũt poſteros. Eſtq́; pijs gratiſſimum incorruptæ antiquitatis teſtimonia de maximis rebus uidere. Tales inſtituerunt Catalogos multi Ireneus, Clemens, Epiphanius, Auguſtinus, qui & refutationes addiderunt quarum nobis teſtimonia in grauiſſimis controuerſijs ualde proſunt. Cum enim dicitur, Niſi araſſetis uitula mea, non inueniſſetis, monemur, ut circumſpiciamus quæ & ubi ſit uera Eccleſia, & docentem audiamus, & conſideremus quorum interpretatio reddat natiuam ſententiam ſermonis Prophetici & Apoſtolici. Ac de multis rebus Catalogi illi nos monent,

Cohor-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Cohorreſco toto corpore cum lego uiuentibus adhuc Apoſtolis tantum fuiſſe fanaticorum erronum qui doctrinæ corruptelas tradiderunt, mox uero poſt Apoſtolos exortos eſſe audaciſſimos præſtigiatores qui horribilium furorum & turpitudinum autores fuerunt. Multi cum coniugia prohiberent, tetras confuſiones libidinum conceſſerunt. Hæc triſtia exempla ſignificant diabolorũ odia, inſidias & furores aduerſus filium Dei, & monent ut & doctrinæ fontes magna cura diſcamus, & Sophiſticen fugiamus, & aſſiduis ac ardentibus uotis à Deo petamus ut nos doceat & gubernet, ſicut Propheta petit. Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Vtraq; res neceſſaria eſt, cura recte diſcendi, iuxta dictum: Ad Legem & ad teſtimonium. Et precatio ſicut Dominus inquit: Orate ne intretis in tentationem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Vtile eſt etiam in Catalogis illis uidere Sophiſmatum exempla. Narrat Clemens hoſtes coniugij citaſſe narrationem de Salome ex Euangelio Aegyptiorũ, in qua cum Salome interrogat Chriſtum, quando uenturum ſit regnum Dei, ille reſpondet, cum ceſſabit opus mulieris. Hoc dicto illi impoſtores dixerunt prohiberi coniugium cum in regno Dei ceſſet opus mulieris, deſinant igitur mulieres parere, & nulla ſint coniugia poſt Chriſti aduentum. Ludunt hoc modo Scurræ & Sycophantæ ut nunc quoq; multi ludunt Papiſtæ & homines fanatici, ut nuper Stenkfeldij ſatelles, Vnus eſt mediator Chriſtus. Non igitur uox Euangelij medium eſt quo Deus eſt efficax. In talibus non ſolum Sophiſtica ſed etiam impudentia odio digna eſt.

Sed redeo ad illam narrationem de Salome non inſuauem. Cum ait Dominus in regno Dei ceſſaturum

eſſe

eſſe opus mulieris, peccatum & mor-
tem intelligit. Hæc à muliere orta
ſunt. Generatio opus Dei eſt in na-
tura admirando conſilio condita, Non
mulieris conſilio inuenta eſt.

Prodeſt autem iunioribus lege-
re tales diſputationes ueteres & re-
centes, & conſideratis labyrinthis
hæreticorum ſcribere concinnas &
perſpicuas ſolutiones & extricatio-
nes. Id exercitium ad multarũ mag-
narum rerum intellectum & ad pro-
priè loquendum ualde conducit. Ex-
empla autem in hoc libro Reueren-
di uiri D. Petri Palladij multa inueni-
ent, qui laborem utilem inſtituit non
ſolum in colligendo Catalogo, Sed
etiam in addendis argumentorum
extricationibus.

Gratulemur autem Danicis Ec-
cleſijs ingentia beneficia quæ diu iam
eis Deus tribuit, Regem ſapientem
& pium, doctrinæ puritatem in Ec-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

ecleſijs , Eccleſiarum concordiam, Regni tranquillitatem, ac precemur Deum ut deinceps etiam & hæc ſua dona uetuſtiſſimo regno Danico tribuat.

Ia Dan Significant autem & regni uetuſtas & amplitudo excellentem uirtutem ſemper in præcipuis familijs illarum gentium fuiſſe. Nam Dai, Getæ, & Cimmerij inde uſque ex Aſia progreſſi ad Cimbricam Cherſoneſum late regnarunt non ſolum in litore Arctoo, ſed etiam in alijs Europæ partibus. In nomine etiam Dai ſeu Dani decus eſt. Nam Dai ſignificat ſcientes, Dani Iudices. Nunc uere letentur quod ad cæteras uirtutes addiderunt ſcientiam ueræ doctrinę de Deo & de Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quare in editione huius libelli, hæc ad te uir Magnifice præfatus ſum, & ut gratulari me uobis hæc bona oſtendam, & ut plures ac poſteri ſciant in regno Danico generoſas familias ueram doctrinam de DEO

ample-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

amplecti, & uera inuocatione Deum colere, & pietatem iuſtis officijs in gubernatione politica, & in uita priuata declarare, ac eximia munificentia Eccleſias & literarum ſtudia fouere. Tali ſtatu in hac uita quid cogitari melius poteſt, quem quidem deſcribit Pſalmus cum ait. Vt conueniant Reges & populi ſimul ut ſeruiant Deo. Hæc eſt pulcherrima politia, in qua Rex, & Populus eandem ueræ doctrinæ uocem audiunt, & conſentientes uerum Deum recte inuocant, & in gubernatione & cæteris uitæ officijs pie colunt.

Pro his tantis bonis uobiſcum Deo gratias ago & eum oro ut deinceps quoq; ſemper inter uos æternam Eccleſiam colligat, & regno fœlicem & tranquillam gubernationem tribuat. Bene uale uir Magnifice generis Nobilitate & uirtute excellens. Die 5. Auguſti. Anno 1557.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

PSALMVS QVINQVAGESIMVS DAVIDIS, LATINA ELEGIA REDDITVS A IOHANNE STIGELIO.

Ante Deum fœdo Ieſsides crimine lapſus,
Has lacrymis madido fudit ab ore preces.
Conſcia mens culpæ cum triſtem ſentiet iram,
Et fugient iuſtum territa corda Deum:
Non fruſtra gemitus inter lacrymasq; fluentes,
Hæc dicet ſummo carmina grata Deo.

Mitis ut es miſeris, preſsis ut ſponte benignus,
Vt tua perpetuum gratia nomen habet:
Sic lapſo ſuccurre Deus, miſerere precantis,
Dum iaceo uultum ſordidus ante tuum.
Vt tua propicio clementia pleno fauore eſt,
Vt tibi multiplici cor bonitate graue eſt:
Sic extingue meæ delicta audacia uitæ,
Mitis & omne mei criminis aufer onus.
Ablue peruerſo fœdos à pectore ſordes,
Et mundum à uicijs me tibi redde meis.
Namq; meæ agnoſcens horreſco crimina uitæ,
Pœnitet & tota mente, fuiſſe malum.
Ante meos oculos culpæ mihi pendet imago,
Et mecum uitium pugnat ubiq; meum.

Ah

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Ah tibi peccaui, te coram talia feci.
Quæ faciunt trepido me tibi corde reum.
Ante tuum ſiſtit me propria culpa tribunal,
Ipſe meo cuius crimine cauſa fui.
Sic tamen hoc cecidit, ſic me meus abſtulit error,
De uenia cogar ne dubitare tua.
Sed uerum ut maneat, ſemper mortalia labi
Corda, uel illa tibi quæ renouata placent.
Vt uerum obtineas, qui criminis arguis omnes,
Eq́; tuo ſolo pectore mittis opem.
Vt uincas de te linguas abſurda loquentes,
Dum lapſis ueniam te dare uelle negant.
Ecce meas traxi uitioſa ab origine ſordes,
Cum noua adhuc grauidæ maſſa parentis eram.
Et morboſa trahens longæ contagia culpæ,
Tabifico accepit me mea uentre parens.
Ecce etenim gaudes uerum ſermone loquentis,
Nec tibi picto ullo uerba colore placent.
Non placet externo probitas tibi ſplendida cultu,
Pectoris ac gemitus interioris amas.
Et tua quæ fatuo non eſt ſapientia mundo
Cognita, te ſolo cognita dante mihi eſt.
Vt diuina tui norim myſteria uerbi,
Promiſſoq́; fides ſtet mea firma tuo.
O Deus Hyſopi folijs abſterge iacentem,
Et propere ex illo tempore purus ero.
Vt mala Moſaicæ quondam contagia gentis,
Illa potens iuſſu ſuſtulit herba tui.

Expiet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Expiet à tanta miſerum tua gratia culpa,
Quæ miſerè lapſos ſola leuare poteſt.
Ablue tu morbos animi, tu pectoris aufer.
Sentinam, ac uicij tolle uenena mei.
Tunc ego,qui merſus fœdis in ſordibus hæſi,
Corde geram molli candidiora niue.
Tunc iucunda tui ſeruato gratia uerbi,
Reddita dulce meis auribus omen erit.
Ipſa mea exilient,& plauſibus oſſa ſonabunt,
Conquaſſata graui quæ iacuere metu.
O auerte meo læſos à crimine uultus,
Elue delicti pondera magna mei.
Cor mundum,cor labe carens,cor criminis expers
In me iudicio gigne recente Deus.
Intima diuino renoua mea pectora motu,
Qui mea perpetua uiſcera lege regat.
Ne procul à uultu miſerum me explode paterno,
Ceu dignum æterna morte perire reum.
Nec cœleſte ſinas à me diſcedere numen,
Quod facit arbitrio pectora ſancta tuo.
Redde tuæ lapſo ſolatia certa ſalutis.
Vt capiam auxilio gaudia uera tuo.
Vimq; mihi mentis quæ labi neſciat, adde,
Quæ te non dubio ſemper amore colat.
Sic tua degeneres paßim mandata docebo,
Vt cupiant nota tutius ire uia.
Protinus ex animo reprobi ſua facta dolebunt,
Omnis & immunes criminis eſſe uolent.
Agnoſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Agnoſcent animis ex te pendere ſalutem,
Turba graui culpa quodlibet auſa ſcelus,
Supplice te ueniam rogitabunt pectore ſontes.
Atq́; tuum grato nomen in ore ferent.
Mi Deus horrendæ pœnis me ſubtrahe mortis,
Perpetua ò animi ſpeſq́; ſalusq́; mei:
Vt mea, doctiloquo formans præconia motu,
Iuſticiam celebret lingua ſonora tuam.
Tu dignare ſinus labiorum aperire meorum,
Vt referam laudes ore ſonante tuas.
Da mihi uim uocis, da doctæ flumina linguæ,
Vt tua perpetua nomina laude canam.
Nam ſacra ſi fuſo fumantia ſanguine malles,
Præſtiterim templis forſan & iſta tuis,
Sed te nec tepido taurorum imbuta cruore
Ara, nec impoſita ſtrata bidente iuuat.
Anxia mens propter culpam, mœrorq́; pudorq́;,
Grata ſalutifero ſunt holocauſta Deo.
Cor lacrymans intus, culpæq́; dolore gemiſcens,
Ad te aditum recto tramite ſemper habet.
Hoc nunquam abijcies, nunquã aſpernabere, firma
Si tamen adiungat uota preceſq́; fide.
Hoc etiam toto ſupplex te pectore poſco,
Sancta Deus regni membra tuere tui.
Sit tibi curæ, altæ rupes ueneranda Sionis,
Perpetuus uerbi eſt exitus unde tui.
Cœpta fac eductas attollant mœnia pinnas,
Grande quibus Solymæ cingitur urbis opus.

Fac

Fac firmata pio fœlix Eccleſia cœtu
Creſcat, & auxilio ſit ſtabilita tuo.
Voxq́; ſalutiferi late ſonet inclyta uerbi,
Et pia cœleſtis corda lucretur amor.
Tunc tibi iuſticiæ perſoluent munera gentes,
Et uera fructus ex pietate ferent.
Hæc tu grata Deus præſens holocauſta probabis,
Hi uituli, grati muneris inſtar erunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

DE ANTI-NOMIS.

DIVVS AVGVSTInus initio Sexti Tomi, Videlicet in libro de Hæreſibus, ad ſuum diſcipulum & Condiaconum Quoduultdeum, enumerat & deſcribit 88 Hæreſes, ſeu Hæreticorum ſectas, ex Epiphanij & Euſebij commentarijs, quæ poſt aduentum Chriſti & in Cœlum aſcenſionem aduerſus doctrinam ipſius extiterunt, à primo Simone Mago & Simonianis, Vſq; ad ultimos Pelagianos ſeu Sceleſtinos, qui ad papiſticam impietatem proximè acceſſerunt, Contra quos pugnat pro tranquillitate Eccleſiæ, quam Vnicè diligebat. Et quanquam eo maiore odio proſecutus eſt eos, quo ardentius amabat Chriſti ſponſam Eccleſiam: tamen ubiq; ſingulari caritate laborat, ut homines ſanet potius, quàm perdat.

Cuius exemplum imitari deſcribendo Neotericos Hæreticorum, qui poſt papatum uel extiterunt uel etiamnum exiſtunt, ſummè neceſſarium eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

propter præſentes & poſteros, ut diſcant foras mittere quod malum eſt, & eligere quod bonum eſt atq; diſcrimen inter triticum & zizania, inter ueram ac ſibi perpetuo conſtantem, & falſam ſemperq; uariantem doctrinam, ante oculos habeant.

Nos itaq; poſtquam de Anabaptiſtis & Sacramentarijs contulimus, reſtat, Vt de Antinomis etiam agamus, quorum ſecta eſt peſtilentiſſima.

ANTINOMI, qui à contrario legis, ſeu ab eo quod eſt contrarium legi in græco nomen habent, Anabaptiſtas ex parte imitati ſunt. Sicut enim Anabaptiſtæ totum uocale uerbum, de ſuo quodam erroneo Spiritu fictisq; reuelationibus gloriantes, reiecerunt: Ita quoq; partem alteram doctrinæ Chriſtianæ, Legem uidelicet, Antinomi Chriſtianis prædicandam negauerunt, cauſantes Euangelij doctrinam eis tantummodo proponi oportere.

Porro contrariam fuiſſe Ebionis ſeu Nazareorum Hæreſin, refert Euſebius Eccleſiaſtica Hiſtoria lib: 3. cap. 27. Nam docuerunt legem Moiſi, non ſolum in Decalogo, ſed etiam in omnibus externis rebus & Ceremonijs, ut in circumciſione, Item Dierum, Ciborum, Veſtium & Sacrificiorum delectione, firmiter ac irrefragabiliter ſeruandam eſſe, modò homines ſalui fieri uellent. Ideo D. Pauli

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Epiſtolas omnes, propter hos egregios locos qui ſunt ad Gal. 2 & 3. Ad Ephe. 2. Gratia ſaluati eſtis, &c. Et ad Colloſs. 2. reiecerunt.

Hi uero Antinomi, non tantum externas leges & Ceremonias Moiſi, ſed ipſum Decalogum reiecerunt, iuxta Prouerbium: Dum uitant ſtulti uitia, in contraria currunt. Sicut Stancarus opponens ſe Oſiandro, dum defenderet Chriſti Humanitatem, incidit in contrariam Hæreſin, & Chriſti Diuinitatem cum Ario perſecutus eſt: Sic etiam his Antinomis accidit. Sed quod cito fit, ut eſt in Prouerbio, cito perit, Eadem facilitate qua Antinomi ſuum delirium ſparſerunt, Luthero palmas dare coacti ſunt, poſtquam contra eos VViteberge publicè diſputauit, ut primo Lutheri Tomo propoſitiones ipſius contra Antinomos diſputatas, uidere licet.

Porrò cum Antinomorum propoſitum fuerit, Legem Diuinam apud Chriſtianos prorſus deſtruere & abolere, contra manifeſtam Pauli Ro: 3 ſententiam, qua Legem ſtabiliri per Fidem affirmat, Et Chriſti Matth: 7. Non ueni ſoluere Legem, non eſt hic conniuendum, nec quicquam diſsimulandum quin illorum doctrina tanquam erronea & impia, nimirum Satanæ commentum refutetur ac damnetur. Et Antinomi numerandi ſunt inter illos cum quibus belligeratus eſt Lutherus. Nos enim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

non tantum ſolliciti eſſe, quomodo ipſi ſalui fia-mus: ſed maximè curare debemus, ne poſteri no-ſtri ſub ſpecie ueritatis errores & mendacia recipi-ant. Nam Satan non ceſſat perſequi ſaluatorem & Mediatorem noſtrum Chriſtum. Ideoq; non tan-tum ſcandalis & perſecutione impiorum, ſed impia doctrina Hæreticorũ etiã conantur impedire ne illa ſalutifera doctrina de iuſtificatione pura in Eccle-ſia conſeruetur & maneat. Ideo ſumma diligentia, uel hoc agere debemus, ut tum ea purè conſeruetur: tum etiam ad poſteros, quantum in nobis eſt, pu-ra tranſmittatur.

Ego itaq; ne meo deſim officio, Primum. Quid Satan utmaximè, per huiuſmodi ſuos ſatellites mo liatur. Deinde ſummam quandam erroris Antino-morum. Poſtremo principaliora argumenta, quibus ſuum errorem probare & defendere conentur, cum ſingulorum confutationibus, Theologiæ ſtu-dioſis breuiter proponam, ut & huius erroris ue-ram habeant cognitionem, & contra huiusmodi erroneos Spiritus, ſanis ſermonibus, hoc eſt, ſacræ ſcripturæ teſtimonijs & munitionibus armentur.

DE SATANICO AN-TINOMORVM EFFECTV.

Satan præter alia multa mala, duo hæc maxi-ma per Antinomos effecta reddere conatur. Al-

terum

terum, ut homines contempta Legis prædicatione ſecuri reddantur, & nunquam ad ueram pœnitentiam perueniant. Alterum ut formam doctrinæ Chriſtianæ, quæ Analoga eſt Fidei, nempe, quæ in Legem & Euangelium diuiditur, & diſcrimen obſeruetur, penitus auferat, & in nouam atq; inauditam formam transformet.

Quantum ad primum malum attinet ut homines reddantur ſecuri, fingunt Antinomi Chriſtum formaliter ſuſtuliſſe omne peccatum (id eſt, ut non ſit peccatum) & Eccleſiam ipſius etiam in hac uita puram & integram eſſe, ſine omni macula & labe, ut fuit Adam in Paradiſo iamiam creatus integer & perfectus. Ita conſtituunt & faciunt ſuos etiam impios formaliter iuſtos.

His duobus Principijs Antinomorum ſtantibus, facile eſt perſuadere hominibus, ut ſine ullo timore quidlibet audeant, & præſumant, Facile eſt reddere homines ſecuros, ſtertentes & ocioſos, ut eò citius inopinantes poſsint à Satana opprimi. Facilè eſt deniq; miſeros mortales et nihil tale cogitantes, imò nudos & inermes Satanæ obijcere deuorandos, Vt Euangelium & beneficia Chriſti prorſus aboleantur, & homines interim genio ſuo ſecuri indulgeant, nihil morantes ſine diſcrimine uel hoc, uel illud uitium aut flagitium perpetrare,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Superbiam, Auariciam & concupiſcentias uarias ac innumeras, ludum ac iocum exiſtimantes. Quaſi uero Eccleſia pura ſit ſine omni peccato, & iam prorſus cum Chriſto ex mortuis & ſepulchro reſurrexerit, fruſtra talem Eccleſiam, inqua nullum peccatum, conſpici poßit, inſtituere conantur: PECCATVM enim hærens in natura non niſi morte aboletur, ut clamat Paulus: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei &c. Ideo non eſt ſic peccatum formaliter ſublatum, ut iſti ſentiunt, ſed reputatiuè & imputatiuè, hoc eſt, miſericordia ſeu gratia Dei, ſuſtulit peccatum, ut dicitur ad Roma. 4. Deus non imputat peccatum, ſed condonat propter Chriſtum, ut pro peccato non habeatur. Deinde uult nos eſſe fortes milites in acie pugnantes contra reliquum peccatum, adhuc hærens in carne & natura hominis, ne nobis dominetur, ut Paulus ait: Sentio aliam Legem in membris meis ſcriptam &c. qui etiam armat Chriſtianum militem armis lucis, contra peccatum & Satanam ad Epheſi. 6. Et Iob inquit: Militia eſt uita hominis ſuper terram, Ergo neceſſe eſt Hominem ſe armare, ut Paulus inquit, Nam hi hoſtes nunquam ceſſabunt, quin dies ac noctes ad peßima nos uocare ſtudeant, ac omnia mala contra nos tentent, ac moliantur, ut ab illa reputatione & Fide in CHRISTVM traducant in regnum Tene-

bras

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

brarum. Nihil eſt igitur quod impudenter hominibus perſuadere conantur, Eccleſiam puram & ſanctam eſſe, Deinde peccatum nihil eſſe, aut certè tale, quod non ſit curandum.

Eſto quod Eccleſia pura ſit & peccatum ſublatum, ſed opus eſt diſtinctione, Nam quo ad CHRISTVM ſumus tales, hoc eſt, Imputatiuè: Sed quo ad nos, perpetuo cum Diabolo & carne noſtra luctari debemus.

DE SECVNDO MAlo effectu Antinomorum.

Porro, quantum ad ſecundum malum, quod Satan per Antinomos molitur, attinet, Satagit puram & certam rationem tractandi & tradendi Chriſtianam doctrinam obſcurare, labefactare, ne dicam prorſus abolere. Sæpe. n. auditũ eſt meliorem rationem tradendi & conſeruandi puram doctrinam non eſſe, quam ut hanc Methodum ſequamur, nempe, ut diuidamus doctrinam Chriſtianam in duas partes, ſcilicet in LEGEM ET EVANGELIVM, Sicut etiam duæ res ſunt, quæ nobis in uerbo DEI proponuntur, ſcilicet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Ira & Gratia Dei, peccatum & iuſticia, Mors & Vita, Infernus & cœlum. Hæ res certæ & apertæ ſunt, non eſt ibi confuſio Babilonica opinionum & abominationum, qualis fuit in Papatu.

Prior res, ſcilicet peccatum, Mors, Ira Dei, agnata & cognata eſt nobis per primum parentem: Altera, ſcilicet Gratia, Remiſsio peccatorum, iuſticia, uita &c. hæc incepta eſt quidem in nobis per Chriſti beneficium, ſed non conſummata, conſummabitur autem planè, um in illo die reſuſcitabimur à morte, ubi corpus omnino purgatum erit ab omnibus peccatis (Philip. 3.) & conforme factum corpori glorioſo capitis noſtri Chriſti.

Manentibus igitur nobis in iſtis duabus rebus, non poſſumus aberrare, ſcimus enim, imò ſentimus peccatum adeſſe, mortem perterrefacere nos. Illa prior res docetur per Legem, cuius cognitio propterea maximè neceſſaria eſt generi humano, quia non ſolum in peccatis concepti, geniti ſumus & uiuimus, ſed tanta eſt humanæ naturæ corruptio et cæcitas, ut non uideat, nec ſentiat magnitudinem peccati. Habent quoq; naturaliter quandam cognitionem legis omnes homines, ſed eam ualdè infirmam & obſcuratam. Ideo neceſſe fuit & ſemper eſt, tradere hominibus illam legis noticiam, ut agnoſcant magnitudinē peccati ſui. Cū igitur natura hominis ita ſit corrupta et excæcata ueneno Diaboli in Paradiſo, ut neq; magnitudinē peccati cernat, neq;

pœnam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

pœnā,iram Dei & æternam mortē ſentiat, ut exhorreſcat, ſeruāda eſt doctrina in Eccleſia,quæ hæc mala aperiat & monſtret, ea autem eſt Lex: Sic econtra,eisdem malis per Legem reuelatis & oſtenſis nobis, ne deſperemus, ſeruanda eſt altera quoq; doctrina in Eccleſia, quæ doceat conſolationem contra terrores, gratiam contra iram Dei, Remiſſionem peccatorum & iuſtitiam contra peccatum, uitam contra Mortem. Ea autem doctrina eſt Euangelij,quod docet Deum uerbo ſuo. Ideo omnes concludere ſub peccato, ut omnium miſereatur, ad Ro: 11, quod uelit omnibus certſsimè remittere peccata,liberare á morte et donare uitam & iuſtitiam ijs qui ſentiūt miſeriam, iniuſtitiam et perditionem ſuam, & quidem ſine omni merito noſtro, Sic tamen ut propter Chriſtū iſta beneficia credentibus tribuantur.

Hac Methodo uſus eſt Paulus,in omnibus Epiſtolis ſuis, præcipuè ad Romanos. In tribus enim prioribus capitibus nihil aliud agit, quàm quod inculcat omnes homines eſſe impios & iniuſtos, ideoq; non ſolum gentes, ſed etiam Iudæos ſub peccato eſſe, Quia ſcriptum eſt, inquit, Non eſt iuſtus,non eſt intelligens, non eſt requirens DEVM,non eſt qui faciat,non eſt uſq; ad unum, id eſt ne unus quidem. Neq; ab hac diuina ſententia liberat Lex Iudæos, ſed eos potius illi inuoluit, ut omne os obturetur, & totus Mundus reus fiat coram Deo.

Hæc ubi multis, & quidem grauiſsimis ac ſignificantibus uerbis inculcauit, ſubijcit alteram partem Chriſtianæ doctrinæ, ſcilicet, Iuſtificari nos Gratis per gratiam DEI, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propiciatorem per Fidem in ſanguine ipſius.

Eandem Methodum retinuerunt Chriſtus Ipſe, Iohannes Baptiſta, Apoſtoli & Prophetæ. Chriſtus enim Matthei 5. ſic inquit: Non ueni ſoluere Legem ſed implere, & ſic implere, ut ij qui credunt ſe per hanc meam Legis impletionem, à maledictione Legis redemptos & Ipſi ſciant Legem à ſe hic inchoandam, præſertim cum iam acceperint primitias Spiritus ſancti. Sic Paulus ad Roma. ait: Per Fidem Legem non deſtruimus, ſed ſtabilimus. Igitur Lex non poteſt tolli, ſed manet ante Chriſtum non impleta, poſt Chriſtumimplenda. Quanquam in hac uita perfectè non fitetiam à iuſtificatis. Requirit enim ut diligamus Deum ex toto corde, & proximum, ut nos ipſos. Hoc perfectè fiet in futura uita.

Cum ergo Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli, hac Methodo uſi fuerint, debemus & nos eos ſequi, Et hortari omnes homines præcipuè inſenſatos & impœnitentes, ut diſcant agnoſcere magnitudinem peccati, quo meriti ſunt iram Dei & mortem æternam. Hoc ubi per Legem fecerimus, habemus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

mus mandatum diuinum, ut iterum conſolemur per Euangelium puſillanimes, ut ſuſcipiamus & erigamus contritos Lege, foueamus illos etc.

Sic uerum & proprium officium Legis eſt accuſare & occidere: Euangelij uero uiuificare.

Quapropter neceſſe eſt nos confirmari in ſana doctrina, & tenere certam rationem tradendi alijs, quæ ratio non ſinat nos aberrare nec falli, præcipue ſi obſeruauerimus illas duas res, peccatum & iuſticiam, mortem & uitam, quibus totum genus humanum obnoxium eſt, propter lapſum primorum parentum. Hæc enim doctrina tradit ueram pœnitentiam, quæ durat per totam uitam noſtram. Hactenus de duobus illis maximis malis, quæ Satan intendere per Antinomos conatur. Nunc de ſumma delirij Antimomorum agendum eſt.

Summa hæc eſt, pœnitentia docenda eſt, non ex Lege, ſed ex Euangelio, Lucæ ultimo, Ioha. 10. Marci ultimo. Lex enim non eſt digna ut uocetur uerbum DEI. Nam ad forum, non ad ſuggeſtum Decalogus pertinet, imo ad patibulum & Diabolum, Ideo non ex prædicatione Legis homines ad Euangelium præparari debent, Sed hoc eſt opus DEI, nec de Violatione Legis agitur in pœnitentia,

ſed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

ſed de uiolatione Regni Dei. Quare ſi ſcortum, nebulo, fornicator, aut alioqui peccator fueris, ſi credis, es in uia ſalutis. Imò ſi in profundo peccati ſubmerſus es & credis, es in ſtatu ſalutis & ſaluandorum. Errauit Petrus ignorans libertatem Chriſtianam 2. Petri 1: certam facientes uocationem ueſtram per bona opera. Errant omnes qui docent Euangelium non prædicandum, niſi animis prius quaſſatis & contritis per legem. Errant deniq; quotquot affirmant, proprium legis officium eſſe, uidelicet, ut uexet conſcientiam, & perterrefaciat eam, ut eò facilius agnoſcant homines Chriſtum. Non igitur lex ad ullam pœnitentiæ partem docenda eſt, modò puritas doctrinæ Chriſtianæ conſeruetur.

Hactenus delirium Antinomorum ſummatim comprehenſum eſt, & pro ſecuritate carnali ſtabilienda, & contra ueram formam Chriſtianam: Nunc ad argumenta confutanda ueniamus, ne incauti ſpecie recti fallantur & opprimantur.

I. ARGVMENTVM.

Piorum conſcientiæ ſunt certificandæ.
Lex non certificat piorum conſcientias.
Ergo lex non eſt docenda.

Reſpondeo, Negatur conſequentia, quia oportet

addi

addi de gratia. Nam lex alioqui certificat piorum conſcientias, uidelicet de peccatis, de ira DEI, de Morte, &c, cuius certificationis ſeu condemnationis teſtis eſt cor noſtrum, quod uelit nolit, cogitur talia fateri, cum ſciant ſe etiam iuſtos peccatum adhuc in carne reliquum habere. Lex igitur data eſt ut terreat & arguat, ut ſemper diſcas quærere & expectare Gratiam, quæ promittitur in Euangelio propter Chriſtum. Sic de Lege diſputat Paulus ad Galatas 3 & 4.

II. ARGVMENTVM.

Qui onerant Eccleſiam Legibus tentant Deum. Actor: 15.

Vos oneratis Eccleſiam legibus.

Ergo uos tentatis Deum.

Reſpondeo. Negatur conſequentia, quia ſunt quatuor termini in hoc ſyllogiſmo Medium enim aliud ſignificat in Maiori, quã in Minori propoſitione. Nam maior eſt ſententia Petri Actorum: 15. Vbi Petrus loquitur & diſputat contra eos tantum, qui hac opinione Iuſtitiæ imponebant Legem diſcipulis, uidelicet, Niſi circumcidamini & ſeruaueritis legem Moyſi, non poteſtis ſalui fieri. Quæ ſaluandi uirtus nulli legi, neq; diuinæ, neq; humanæ com-

næ concedatur, Quia ad hoc, miſſus eſt agnus Dei.
Minor autem loquitur de uero uſu Legis. Igitur & hæc eſt neganda. Nam Eccleſia non oneratur Legibus, quando uel impij eis quaſi uinculis cohercentur, uel pij qui peccatum in carne adhuc reliquum habent arguuntur & mouentur, ne fiant ſecuri & ſtertentes, ſed excitentur, quaſi ad pugnam & militiam aduerſus reliquias peccatorum & tentationes, quæ magnæ & multæ erunt in omni ætate. Sic caro debet ſemper argui per Legem etiam in ſanctis, ut cedat locum Spiritui ſancto, cor ipſum pij hominis inhabitanti. Nos igitur etiam dicimus, non onerandas eſſe Eccleſias ulla Lege, quemadmodum & Petrus, Videlicet, ut ex ea quæratur ſalus & Iuſtificatio. Nam hoc modo & hac ratione tollenda eſt Lex, ſed quia manent adhuc in nobis Chriſtianis reliquiæ peccatorum, docenda eſt Lex, & diligenter acuenda, donec hæc natura corrupta manet, Præter hoc quod maxima pars hominum impia ſit, & Lex (ut Paulus inquit) eſt iniuſtis poſita, 1. Timoth. 1.

III. ARGVMENTVM.

Quicunq; præcipit impoſſibilia, uidetur eſſe iniuſtus.

Deus

Deus præcipit impoßibilia.
Ergo uidetur eſſe iniuſtus.

Reſpondeo. Minor eſt neganda. Nam Deus non præcipit impoßibilia, ſed ipſe Homo per peccatum incidit in impoßibile, Lapſus eſt enim in eum ſtatum, in quo nolens uolens, non poteſt etiam multum conando præſtare Legem.

IIII. ARGVMENTVM.

Ad tollendum effectum neceſſe eſt tolli cauſam.

At Lex eſt cauſa peccati.
Ergo Lex eſt tollenda.

Minor probatur, Quia Lex iram operatur. Reſpondendum eſt ad Minorem, Lex non eſt ſic cauſa peccati, quaſi ipſa faciat peccatum fieri. Nec Deus ipſe eſt cauſa peccati, qui certè non uult iniquitatem. Hoc enim cogitare eſt ſacrilegium: Sed lex iram operatur, ſeu eſt cauſa peccati per accidens oſtendit peccatum, quod iam eſt in natura præſens, non facit ut fiat, neque cogit peccare ſed peccatum iam factum uel dictum præſens oſtendit,

nobiſq;

nobiſq; qui ſumus excæcati à Diabolo, ut nos ipſi peccatum ignoremus, idipſum reuelat, ſicut Paulus inquit Rom. 5. 6. & 7. Neſciebam eſſe peccatum, niſi Lex dixiſſet: Non concupiſces. Quare Lex eſt cauſa peccati cognoſcendi, & intelligendæ ruinæ.

V. ARGUMENTUM.

Chriſtus impleuit Legem.
Ergo nobis non eſt implenda Lex.

Reſp. Negatur conſequentia per quam & Chriſti Legem, adeoq; diſciplinam omnem tollere conantur, Chriſtus (inquiunt) impleuit legem pro nobis, Ergo nos non debemus eam implere, hoc eſt, non pugnare contra peccatum & mortem, Et quæ iam à Chriſto ſuperata ſunt, ut nobis accidere inde nihil mali poßit. Id quàm libentißimè Chriſtiani omnes optarent. Quis non optaret ſe liberatum iri ab iſtis moleſtijs uariarum libidinum & concupiſcentiarum? Sed Chriſtus non ita peccatum noſtrum abſtulit, ut nos ipſius paßionis meritum & remißionem peccatorum in luxuriam transferamus. Verum potius cum Paulo clamemus, Infœlix ego homo, &c. quod nolo facio, Verum eſt Chriſtum impleuiſſe legem, ſed additum eſt, ut nos piè, ſanctè, integrè & ut Chriſtianos decet, uiuamus

mus

mus, Sed quis eſt hic? Et laudabimus eum.

VI. ARGVMEN-TVM.

Quicquid affert deſperationem & ſecuritatem non eſt docendum.

Lex eſt huiuſmodi.

Ergo Lex non eſt docenda.

Reſpondeo, Minor neganda eſt, Quia Lex neq́; deſperationem, neq́; ſecuritatem affert. Nam inſtantiam hanc ex Paulo damus, qui inquit: Viuebam aliquando ſine Lege, Hoc eſt, fui ſecurus Hypocrita, & qui ſecurus eſt, Legem non habet. Quia ſecuritas eſt abſq́; & ante Legem, Veniente autem Lege ceſſat, quia Lex ducit nos in cognitionem noſtri, Ibi tandem incipimus diſputare & calculum ponere, Qui & Quales antea fuerimus, Ibi non Lex ſed peccatum, quod Lex inuenit in carne noſtra, cogit nos ad deſperationem, Non Lex quæ bona & ſancta eſt, ſed peccatum me occidit. LEX quidem clamat : Non habebis DEOS alienos &c. Nos tamen, cum ſimus natura mali & corrupti in contrarium currimus. Ibi uidetur Lex in nobis, ut in materia mala diuerſum quid operari, Vt, confidere Deo deberem, & hac uoce Dei excitari ad Fidem, deſpero, præſertim cum uideo me non eſſe talem, qualem Lex uelit. In ſumma ſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

adeſt, deſpero, ſi abeſt ſecurus fio, cum tamen Lex ad neutrum data ſit. Sed magis ut timeas Deum contra ſecuritatem & ſperes in eum contra deſperationem. Peccatum inquit Paulus fuit in mundo ab Adam usq; ad Legem, ſed fuit mortuum & cubabat, id eſt, ignorabatur Veniente autem Lege reuixit, id eſt, reuelabatur & oſtendebantur hæc præſentia mala filijs Adæ per Legem, ut ſcirent ſe opus habere alieno auxilio, nempe Chriſti, qui Legis finis eſt, & ad quem Lex pædagogus eſt, Galat. 3.

VII. ARGVMENTVM.

Chriſtus Prædicat pœnitentiam ex Euangelio.

Ergo non eſt docenda Lex.

Ratio conſequentiæ eſt, quia miſſus erat annunciare regnum Dei, Sed inſtantia detur: Chriſtus & Iohannes Baptiſta prædicauerunt pœnitentiam ex Lege, niſi uelis dicere has uoces non eſſe Legis, Niſi pœnitentiam egeritis, ſimiliter peribitis. Item, De quocunq; uerbo ocioſo, quod locuti fueritis &c. Eſt ne hoc Legem prædicare, id eſt, Oſtendere peccatum? Nonne Chriſtus Matth. 5. exponit Legem, & exacuit eam quantum poteſt? Ne dicam quid Matth 23. faciat, ubi toties Væ Væ clamat, ut uel animus horreat ea legere, Item ad ſcribam

bam, quid legis? In Lege quid ſcriptum eſt? Et multi alij loci qui oſtendunt Chriſtum docuiſſe, uel ſaltem interpretatum fuiſſe legem.

Ita Chriſtus tametſi principaliter miſſus eſt Euangelizari pauperibus, hoc eſt, annunciare remißionem peccatorum & ſanare contritos corde: Interim tamen non reijcit alteram partem, quæ facit contritos & pauperes, quibus Chriſtus deinde mediatur, Eſt igitur Chriſtus & Legis & Euangelij prædicator.

VIII. ARGVMENTVM.

Lex data eſt certo populo, nempe Iudæis:

Nos non ſumus Iudæi.

Ergo Lex ad nos non pertinet.

Maior probatur ad Ro. 2. Qui ſine Lege peccauerunt, ſine Lege peribunt. Item ſi preputium legis ſeruauerit &c. Reſpon. Lex in genere dicta eſt. non poſita certo populo, ſed uniuerſo generi humano. Deus enim poſtquam Adam lapſus eſt in peccatum, et homines magis ac magis à Lege Dei declinare cæperunt, Donec ferè tota Lex obliterata & obſcurata eſt: Coactus eſt Deus à nouo ſuã Legem ac mentẽ nobis proponere, ne prorſus ipſius obliuiſceremur, ſed recordaremur ſaltem, quales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

ante fuerimus, & quid iam ſimus. Itaq́; renouatá eſt Lex & quidem ſcripta, tradita etiam certo populo, Sed in quantum ſcripta, non in quantum dicta. Diſcrimen inter Legem dictam omnibus gentibus, & eam quæ ſcripta Iudæis experientia facilè demonſtrat, Exemplum, ut quando dicitur: Tu non es circumciſus, Tu non offers Bouem, Vitulum, pecudes &c. Hæc nihil moror neq́; perhorreſco, quia ſunt iſto populo ſcripta. At cum dicitur, Tu es incredulus Deo, non times Deum, es adulter, inobediens, & quidquid tale fuerit, Hîc ſtatim palleſco, ſentioq́; in corde me hoc debere Deo non quia Decalogus ſingulari modo, loco & pompa datus ſeu repetitus eſt.

Propterea has ſententias & Leges nobiscum naſcentes in mundum attulimus, & omnes gentes earum transgreßiones, contemptum Dei, inobedientiam, furta, adulteria, Violationes &c. peccata eſſe fatentur, Quia ſunt naturales Leges, non Politicæ, nec Moſaicæ.

Hæc differentia ſemper obſeruanda eſt, quatenus Leges Iudæos tantum obligent, & quibus in uniuerſum omnes gentes obligentur,

IX. Ar-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

IX. ARGVMENTVM.

Lex abolita eſt.

Ergo non eſt docenda.

Hoc argumentum eſt unum ex præcipuis, quod etiam monere poteſt homines ſenſatos. Sic inquit Chriſtus: Lex & Prophetæ uſq; ad Iohannem. Hæc uerba ſonant, quaſi Lex non ſit amplius docenda poſt Chriſti aduentum, Sed hæc eſt germana huius loci ſententia, Lex requirebat iuſtam & perfectam obedientiam, Et Prophetæ Legem hanc ſuis prædicationibus confirmabant, nemo tamen præſtare potuit id, quod Lex & Prophetæ requirebant, priusquam Iohannes Baptiſta monſtrator Agni uenit, ſignificans Chriſtum præſtiturum abunde, quod Lex requirebat, hoc eſt, per Euangelium nos à maledictione Legis liberaturum. Et Legem nobis eatenus abolitam eſſe, quatenus credimus in Chriſtum, ut etiamſi Lex nos accuſet et terreat, non poſſe tamen nos adigere in deſperationem & damnare, ſicut impios poteſt, in quibus manet ſemper, fruſtra requirens & exigens ſui impletionem.

X. ARGVMENTVM.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Quod arcet nos à Caritate Dei non eſt docen-dum.

Lex arcet nos à caritate Dei,

Ergo non eſt docenda.

Minor probatur in Epiſtola Iohannis, Ca-ritas expellit timorem.

Reſpondeo, Quanquam Lex accuſat, adigit ad deſperationem & conturbat conſcientias, exi-gens impletionem ſui, ita ut quo ſe uertat homo neſciat quid facturus ſit, Ideoq; uideatur digna quæ extra conſcientiam eijciatur, cum nihil niſi terro-rem in cordibus noſtris faciat, tamen eo magis eſt accerſenda Lex & collocanda ante conſpectum tu-um, ut illa ſonante ſcias te non diligere Deum. Ter-ror enim Legis certiſsimum ſignum eſt, nullam ca-ritatem eſſe in corde: Nam ſi haberes caritatem iam te non ſic Lex conturbaret. Quod cum ſentias non hic reſiſtendum erit, ſed quantum potes acceleran-dum eſt ad Chriſtum, & conandum ut poſsis in iſtis terroribus & malis agnoſcere & apprehende-re Chriſtum per Fidem. Hæc autem Fides tanta debet eſſe, ut accendatur in nobis caritas, & timor de die in diem magis ac magis eijciatur, donec tan-dem deuicto & reiecto omni terrore & tremore prorſus regnet in nobis Caritas. Hoc eſt quod Io-hannes inquit: Perfecta caritas foras pellit timo-rem, ſic enim debet fieri. Nam alioqui turbantur

conſ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

conſcientiæ ut eſt in Pſalmo. Timor & Tremor ceciderunt ſuper me & contriſtatus ſum nimis.

Porro, Timor eſt duplex, ſcilicet ſine Caritate & cum caritate. Sine caritate, ut cum times iram Dei, & mortem æternam propter peccata, præſertim cum ibi reſiſtas & adigaris ad deſperationem. Cum Caritate quando times ne porro pecces & offendas Deum, Hic timor à Caritate iuuatur: Illum uero caritas expellit.

XI. ARGVMENTVM.

Neceſſe eſt argui & damnari iuſticiam Legis.

Lex non damnat nec arguit Iuſticiam Legis.

Ergo prorſus eſt alia doctrina, quæ Iuſticiam Legis damnat.

Probatio Minoris, Quia ſi Lex damnaret Iuſticiam Legis, deſtrueret ſeipſam.

Quicquid autem corrumpitur à contrario corrumpitur.

Reſpondeo. Negatur conſequentia, ſunt enim quatuor termini. Nam iuſticia Legis in maiori ſignificat Iuſticiam quæ fit humanis uiribus in hac uita. In Minori ſignificat eam quæ erit in futura uita.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Iuſticia Legis quæ fit in hac uita quam Lex extorquet, ipſa eſt Politica & Iuriſtarum Iuſticia, uel minis uel promiſsis extorta. Hæc debet damnari, Sed non per ſeipſam, quia per ſe eſt bona & laudibus digna, tametſi non poteſt per ſe conſiſtere in conſpectu Dei, quia plærunq; adfert fiduciam quandam præſumptionis & Iuſticiæ propriæ. Ideo ſcriptura ubiq; eam inſectatur, & maxime Paulus cum inquit, Non inueniar in eo habens propriam Iuſticiam, quæ ex Lege eſt. Item, Si ex Lege eſt Iuſticia fruſtra Chriſtus mortuus eſt. Item Iuſtificamur Gratis, abſq; operibus Legis.

Quare hic reſpondendum eſt cum Paulo, quod Lex damnet ſeipſam, hoc eſt, quia Lex eſt ſpiritualis damnat illam carnalem & externam Iuſticiam, quam nos carnales in Hypocriſi, corde impuro & repugnante præſtamus inuiti & coacti, uel pœnarum timore, uel amore laudis & gloriæ, Vt quando in externis actionibus cohercemus manus à furto, cæde, adulterio &c. Sed interim tamen cor æſtuat horribilibus & innumeris cupiditatibus ac libidinibus aduerſus Deum & homines.

Hic accedit illa Lex Spiritualis & iudicat carnalem, Quia Legem non ſpiritualiter, ſed Phariſaicè intelligit, ut Matth. 5: Niſi abundauerit Iuſticia ueſtra &c. Hic diſcernendum eſt inter

ſpiritua-

Spiritualem & Phariſaicum Legis intellectum,
Hunc damnat, & illum laudat.

Ita fit, quod Lex damnet & euacuet Legem, id eſt, Præſumptionem humanam & opinionem propriæ & carnalis Iuſticiæ, quæ Lege Spirituali damnatur.

XII. ARGVMENTVM.

Quicquid antiquatur & ſeneſcit, propè eſt, ut euaneſcat, Hebræo. 8.

Lex ſeu Legis fœdus antiquatur & ſeneſcit.
Ergo propè eſt ut euaneſcat.

Minor probatur Hieremiæ 31. ubi promittitur nouum fœdus.

Ergo Lex eſt abolita.

Si Textus intelligitur propriè de lege Moiſi, Ceremoniali & Iudiciali. Item de circumciſione (id quod uidetur ipſe textus arguere & quaſi ſeipſum interpretari cum inquit. Non ſecundum illud quod pepigi cum patribus ueſtris, cum educerem eos de terra Aegypti) nihil habet incommodi & facilè conceditur argumentum, Quia non amplius Legem de Oblationibus, holocauſtis, Libationibus & circumciſione docemus.

At ſi quis contendat Prophetam complecti

 totam

totam legem Moiſi, una cum Decalogo reſpondendum eſt, Decalogum non eſſe Moiſi Legem, Quia Moiſes eam primus non tulit: Sed Decalogus eſt inſcriptus & inſculptus omnium hominum mentibus inde uſq; à condito mundo.

Deinde etiam Decalogus in eum finem non prædicatur, ut per eum homines iuſtificentur: Sed ut à Iuſtificatis quantum fieri poteſt impleatur. Quia iuſtificati iam habent id, quod Lex requirit uidelicet in Chriſto, ut dicitur: Nulla nunc condemnatio his, qui in Chriſto Ieſu uiuunt, Roma. 8. Item Lex non eſt iuſtis poſita, ſed iniuſtis.

Sed hoc multo grauius eſt, quod dicit, Amplius non futurum miniſterium in Eccleſia. Quid ad hæc dicemus?

Reſpondeo, Hoc ſoluit Chriſtus in Iohanne 6. Cap. cum inquit. Et erunt omnis docti à Deo. Iudæi habuerunt multas Leges, exceptis traditionibus hominum, quarum non eſt numerus, Iam in Silo, iam Hieroſolymis, alius huc alius illuc mittebatur ſurſum & deorſum currendo omnes clamabant: Cognoſce Dominum, cognoſce Dominum, (non ſecus quam ſub Papatu factum eſt) Iam inquit Chriſtus per Hieremiam, Non ſic fiet poſt hac, ſed omnes cognoſcent me à minimo ad maximum, hoc

eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

eſt, Ego dabo uobis talem doctrinam, quam unam ſeu ſolam omißis reliquis doctrinis ſequetur meus populus, & quotquot erunt in toto orbe terrarum credentes eandem docebunt. Nam erunt omnes θεοδίδακτοι, hoc eſt, ipſe Deus uult eſſe & conſtitui doctor & quidem ſolus in ſua Eccleſia per Spiritum ſanctum in uerbo, omnes habemus unum & eundem Chriſtum, quem inuicem alter alterum docebimus & non erit amplius hæc uox cognoſce dominum, quia hunc omnes nouerunt.

Hucusq; Satanæ per Antinomos intentio, & ſumma delirij ipſorum & principaliora argumenta ſanis ſermonibus confutata eſt. Reſtat igitur, ut cane peius & angue peſtilentißimorum Antinomorum errorem pernitioſißimum fugientes, Legis doctrinam in ſuo uero uſu cum Euangelij doctrina, & conſuetam docendi formulam de Lege & Euangelio ſemper in Eccleſia Chriſti retineamus.

DE INTERIMISTIS.

Poſt mortem Lutheri piæ memoriæ ſurrexerunt falſi quidam fratres, iniquitatis mercede, conducti, qui cum aduerſarijs ueritatis conuenerunt. & hunc libellum, quem INTERIM uocant, Papiſtis acceptatiſſimum & gratißimum, ex ſententijs diuerſis & contrarijs compilauerunt.

Porro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Porro nomen huic libello INTERIM, pacem Reipublicæ prætexentes, indiderunt, Poſtquam enim ſemel atq; iterum, in ſuo Tridentino concilio, certisq; ſeſſionibus, Papiſtæ de ſtatu Religionis futuræ, Decreta concluſerunt, & nihil ſecutum eſt, quia non eſt conſilium ullum contra Deum: Satan hanc nouam technam per ſuos ſatellites inuenit, ut ſuſpenſo Tridentino conſilio, Seu generali ut uocant concilij definitione ſuos Papiſtas in dubium per iſtud perplexum INTERIM ſuſpenſos teneret, & Electos quoq; ſeduceret, ne ad Veritatis cognitionem pernenirent.

Sed uera Eccleſia ſuum habet INTERIM, utq; ad generalis Iudicij definitionem, uidelicet, Quod in Euangelio Fide, uera inuocatione &c. uſq; ad extremum diem exerceatur, ſeu donec uox Angelorum quæ eſt Acto. 1. completa fuerit: Sic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum, hoc eſt, Idem qui prædicauit uobis ſuum Euangelium, qui docuit uos Fidem & inuocationem, adeoq; doctrinam cœleſtem editis miraculis confirmauit. Idem, inquiunt Angeli, ueniet, quaſi dicant, Saluator ueſter Chriſtus Ieſus ueniet Iudex mortuorum & uiuentium, ut qui noluerunt eum uerum Saluatorem, experiantur eum ſeuerum iudicem, propter Euangelij, quod prædicatum eſt in teſtimonium illis, contemptum.

Porro

Porro libellus hic præter nomen INTERIM, alijs quoq; nominibus ſecundum Etymologiam nominis notatur. Sunt enim qui ſomnium uocant einen Trawm, Quia ſomnia humana, ueris ſcripturæ ſacræ ſententijs, permixta habet, ut ſolet Satan ſe transformare in Angelum lucis, & ſub prætextu ueritatis per ſuos aratores ſeu Agricolas & ſomniatores in Eccleſia Chriſti ſpargere ſua Zizania inter ſemina in terram coniecta.

Deinde ſunt, qui mutant INTERIM in Iterum, uidelicet, quod Satan huiusmodi medio totam Papiſticæ factionis doctrinam iamdudm Chriſtianorum mentibus exploſam, renouare ſtudeat & conetur:

Poſtremo, qui uerè ſentiunt deceptionem INTERIM, ab interimendo dici contendunt, propterea quod libellus ad interimendos pios omninò compilatus eſſe uidetur. Offundit enim oculis hominum imperitorum nebulas, uera falſis miſcendo, perſpicua obſcuris, certa dubijs, & minus intricata perplexis, & per hoc ad fallendos incautos concinnatus, & pro maiori autoritate potentibus huius ſæculi traditus, uel ut uerius dicam obtruſus, pro mercede iniquitatis.

Ideo neceſſarium & operæprecium nobis uidetur, ſummam libelli ut ſubijciamus oculis hominum ;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

nium, ut eo facilius animaduerti poßit fucus, & inter bonum & malum, album & nigrum, dulce & amarum diſcrimen facere queant, cum intelligent autores libelli planè ineptos, & ex ore Dei propter abominationem euomendos eſſe, ſi non induerint denuo ueſtimenta contra ſuæ nuditatis confuſionem.

I. Primum itaq; tractat libellus, de conditione hominis ante & poſt lapſum.
II. De redemptione per Chriſtum.
III. De Caritate & bonis operibus.
IIII. De fiducia remißionis peccatorum.
V. De Eccleſia.
VI. De Votis.
VII. De Poteſtate Eccleſiæ.
VIII. De miniſtris Eccleſiæ.
IX. De Summo pontifice.
X. De Sacramentis.
XI. De ſacrificio Miſſæ.
XII. De memoria Sanctorum.
XIII. De Inuocatione et interceßione Sanctorum.
XIIII. De communione cum Sacrificio iungenda.
XV De memoria eorum qui piè mortui ſunt.
XVI. De Ceremonijs & uſu Sacramentorum.
XVII. De operibus ſupererogationis.
XVIII. De dubitatione.

XIX. De

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

XIX. De conſirmatione & Chriſmate.
XX. De confeßione auriculari & Satisfactione per ieiunium, Eleëmoſynam, & precationem.

Sequitur poſtea congeries Papiſticarum nugarum, quas quiſq; per ſe facile percurret & iudicabit, Nam ferè totus in hoc libello papatus ſtabilitur.

Deinde quantum ad noſtrum propoſitum attinet reuoluamus unum atq; alterum locum inter cæteros manifeſtißimè falſum, qui uidelicet pugnat ex Diametro cum locis de pœnitentia & Iuſtificatione hominis coram Deo, Quibus erroneis locis confutatis, Reliqui paßim in omnibus Martini Lutheri, Philippi Melanthonis, & aliorum pijſſimorum & grauißimorum uirorum noſtri ſæculi ſcriptis taxantur & confutantur:

Libellus in principio tollerabilis eſt utcunq;, uidelicet in ijs quæ præcedunt locum Iuſtificationis ſed in loco de Iuſtificatione, deq; utilitate & fructibus iuſtificationis, adeoq; de modo per quem homo Iuſtificationem accipit mirum in modum, ut ſcripturæ ſacræ falſarius & deprauator peßimus homines ſimplices & incautos à uera iuſtificandi ratione procul abducit & ad humanæ iuſticiæ confidentiam inducit, obſcurus, horribilis & impius. Cœlum enim terræ miſcet, Et ſicut mali Coci iura, ſic & ipſe confundit omnia.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Nam ingens illud & horrendum monſtrum quod Iuſticiam inhærentem uocat, loco iuſtificationis, quaſi cum Iuſticia Chriſti concurrentem, inſerere præſumit. Sic enim habet Folio quinto: Concurrunt Chriſti meritum & Iuſticia inhærens, ad quam renouamur per donum Caritatis. Idem Folio 8. Charitas quatenus ad fidem & ſpem accedit, eatenus per iuſticiam inhærentem, uerè iuſtificamur. Hæc enim Iuſticia, Fide, Spe & Charitate ita conſtat, ut ſi aliquam harum, Iuſticiæ huic ſubtraxeris, eandem ipſam mancam planè reliqueris.

CONFVTATIO.

Præter hoc quod obſcurum eſt illud, quod hic in ſcopo de Iuſticia inhærente cum Iuſticia Chriſti concurrente & hominem plenè iuſtificante comminiſcitur, Eſt etiam impia doctrina, quam omnes pij cum Prophetica & Apoſtolica ſcriptura pugnare iudicant. Verè enim rationi Iuſtificationis contraria eſt. Nam impium eſt quod humanam Iuſticiam, quæ pannus immundus dicitur Eſaiæ 24. cum Iuſticia Dei & Chriſti merito confundit, Quia uera Iuſticia non eſt inhærens in nobis, per noſtram caritatem & noſtra opera, ſed concupiſcentia nobis inhæret.

Iuſticia uero qua iuſti & accepti coram Deo ſumus aliunde prouenit, nempe, ex Miſericordia

Dei

Dei propter mediatorem Chriſtum, excluſis omni-
um operum meritis quam iuſticiam in uerbo pro-
miſſam Fide apprehendimus, Firmiter credentes Ie-
ſum Chriſtum & eſſe perpetuo Iuſtificatorem pec-
catorum, & iuſticiam fidelium, In cuius alioqui
conſpectu iuſtificatur omnis uiuens, id eſt, nullus
uiuens, ut Pſalmus teſtatur. Et Daniel inquit: Ex-
audi nos non propter noſtram iuſticiam, ſed pro-
pter miſericordiam tuam, propter Dominum. Ad
Titum 3: Non ex operibus iuſticiæ &c.

Eſt igitur impium quod de iuſtificatione ho-
minis loquens, cœleſti ſententia ſpreta humana com-
menta proponit, & fingit nouam iuſticiam ex ca-
ritate & operibus conflatam, quam inhærentiam
uocat, contra iuſticiam Chriſti in Euangelio pate-
factam, uerba ſic ſe habent.

Quemadmodum FIDES ſola iuſtificat ſine
operibus: Ita nunquam eſt ſine bonis operibus.
Exemplum, Regina ingreditur ſola in conſpectum
Regis, tamen non eſt ſine uirginibus, Etiamſi fue-
rint Virgines in alia Regione, tamen uocantur uir-
gines Reginæ.

Quibus commentis Euangelij doctrinam uni-
uerſam euertere & Chriſti gloriam obſcurare co-
natur.

SECVNDO libellus Interim pernitioſè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

de fide calumniatur in hoc, quod nullam Fidem præter Hiſtoricam, quæ in impijs eſt agnoſcat, Et quod de Remiſsione peccatorum, Iuſticia & uita æterna dubitare iubet.

Nam de Fide ſic Legis folio 5. Et hic eſt motus fidei, per quam homo ſine hæſitatione credens ſcripturis ſanctis & promiſsionibus quas eædem afferunt aſſentitur. Et folio 6. Eſt tamen Fides nihilominus uera, qua Chriſtiani ab infidelibus diſcernuntur quatenus ſcripturis & reuelatis à Deo aſſentiuntur, etſi eadem à Caritate diſiuncta ſit.

De dubitatione uero ſic habet folio 7. Homo non poteſt ſine dubitatione propriæ infirmitatis aut indiſpoſitionis credere ſibi peccata remiſſa eſſe, Eſtne mirum quod ſic tractat locum iuſtificationis, ut ab Analogia Fidei prorſus ſit alienus, cum fidem intelligat, non fiduciam in Mediatorem Chriſtum, ſed tantum hiſtoriæ noticiam & aſſenſum Dæmonibus impijsq; hominibus communem, Quanquam mentionem promiſsionum facit, tamen mox deſtruit ſeipſum per dubitationem, quæ pugnat cũ fiducia in Chriſtum, & per ſeiunctionem à caritate, quam fiducia in Chriſtum parit.

Porro per hoc quod dubitare docet & iubet neceſſariam ac Salutarem conſcientijs afflictis conſolationem hoc commento eripit & falſam ac hypo-

criticam

orlticam fiduciam humanis operibus nitentem con-
firmat. Hactenus error libri.

CONFVTATIO.

Quantum ad Fidem attinet hæc eſt ab una parte Hiſtorica, de qua Iacobus 2, Cap. ſic ſcribit: Tu credis quod unus eſt Deus, bene facis, & Dæmones credunt & contremiſcunt, quaſi dicat. Hæc Hiſtorica fides non eſt ſufficiens, etiamſi aſſentiris doctrinam ſcripturæ ſacræ ueram eſſe, quocunq; in loco prædicetur. Sed uera Fides ſeu iuſtificans adhuc deſideratur, uidelicet, Fiducia cordis tui firma & conſtans in Chriſtum Mediatorem qui pro te quoq; & tua ſalute ſit mortuus, ut nullibi tuam propriam ſalutem quæras, ut D. Bernhardus inquit, niſi in uulneribus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc enim Iuſtificatio quæ ſignificat conſequi à Deo remiſſionem peccatorum & acceptionem ad uitam æternam contingit nobis propter Mediatorem, ſed tamen fide accipi oportet, Roma. 5. Iuſtificati fide pacem habemus. Item, Qui credit in eum, non confundetur. Qui loci nullo modo congruunt ad talem noticiam qualem uolunt Papiſtæ, & qualis eſt in Diabolis. Sed intelligi debent de fiducia promiſſæ reconciliationis acquieſcente in monſtrato mediatore Chriſto.

Nam ad hanc fiduciam ſimul datus eſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Spiritus ſanctus, inchoans nouam lucem & nouas uirtutes quibus nos Deo ſubijcimus, & ſic inchoatur in nobis uita æterna, ſicut inquit Chriſtus: Hæc eſt uita æterna ut agnoſcant te ſolum uerum Deum & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum.

Porro quod fingit libellus dubitandum eſſe de Reconciliatione propter noſtram infirmitatem corruptione & imperfectione, nos non tam dubitare, quam deſperare oportet, tamen cum remiſſio peccatorum & ſalus fidelium non ab humanis uiribus aut operibus, ſed à ueritate, benignitate, gratia, miſericordia Dei & meritis pendeat, nullus dubitationi locus relinquitur, ubi remiſsio peccatorum gratuita, à conſtanti cordis fiducia pendeat. Ethnicam igitur imaginationem habent autores libelli, nec accedunt ad Deum fiducia mediatoris, cum tamen Deus aliter coli non uelit nec exaudire, niſi inuocantes fiducia Mediatoris.

TERTIO tribuit libellus Caritati potiorem in iuſtificatione partem contra ueram Analogiam Fidei cum ſic inquit folio 6. Caritas quæ eſt finis præcepti & plenitudo legis, ſimulac iuſtificatiorem ingreditur, ſecunda eſt, iamq; omnium bonorum operum ſemina intra ſeipſam concludit.

CONFVTATIO.

Caritas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Caritas non ingreditur iuſtificationem quæ fit coram Deo, Sed ſequitur eam, ut alij ueræ fidei fructus, obedientia, uirtutes, bona opera, & alij effectus Fidei ſequuntur gratuitam iuſtificationem, quæ nec caritate nec ſpe, ſed fide in Ieſum Chriſtum conſtat. Iuſtificati inquit Paulus, fide pacem habemus. Item, Qui credit in eum non confundetur.

Porro ſententia Pauli, quam ex primo Capite prioris Epiſtolæ ad Timotheum allegat eſt ipſius opinioni prorſus contraria, ſic enim ſonat: Finis præcepti eſt caritas, ex puro corde, conſcientia bona, & fide non ficta,

Quis hic non uidet caritatem ſequi cor purum, id eſt, iuſtificatum, conſcientiam bonam, id eſt, habentem pacem cum Deo, Et fidem non fictam id eſt, ueram ſiduciam in Mediatorem Chriſtum, Ex his enim proueniet, inquit, & ex his gignetur, Ergo iuſtificationem non ingreditur, ſed Fides in iuſtificatis per eam operatur. ad Galatas 5. hoc eſt, Sicuti ipſa Fides in conſpectu uerſatur occupata diuinis donis accipiendis: Ita uult caritatem eſſe gubernatricem ac diſtributricem omnium bonorum operum inter fideles, Nam fides per ſe eſt efficax Deum apprehendendo & miſericordiam eius, propter Chriſtum mediatorem noſtrum: Per caritatem uero eſt efficax bona diſtribuendo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Conuincitur ergo Caritatem eſſe fructum fidei primarium, moderatricem ſeu gubernatricem omnium aliorum fructuum quæ recenſentur ad Roma. 12. & ad Gala. 5.

Deinde toto cœlo quoq; libellus errat allegans aliam Pauli ſententiam ex 5. Capite ad Roma. de Caritate per Spiritum ſanctum, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris. Nam Paulus illic loquitur de caritate Dei erga nos. Caritas Dei inquit, ſicut paulo poſt exponit, cum ſubdit: commendauit Deus caritatem ergo nos. Libellus Interim detorquet ſententiam ad caritatem noſtram, erga Deum & proximum, quod Deus diffuderit in corda noſtra caritatem, qua inhærenter iuſti ſumus coram Deo.

Eſt ergo locus Pauli, ut apertiſsimè (quis enim tutus eſſe poſsit à calumniatoribus) ita peſsime quoque deprauatus, Et per conſequens libellus Interim infirmo plane & falſo nititur fundamento, quaſi Paulus de caritate fidelium erga Deum loquatur, cum ipſe de dilectione Dei erga homines toto contextu atteſtante ſit locutus.

Poſtremo cum libelllus Interim ueram Fidem ubiq; ex contemptu diſsimulet, id etiam facit in applicacione meriti Chriſti cum ſic inquit: Quanquam homo potius Chriſti merito redimitur à crimine & iuſtificatur: tamen Deus eſt miſericors, non agit hic (ſcilicet in iuſtificatione) cum homine

ut cum

ut cum trunco, ſed trahit cum uolentem ſi adultus ſit, quaſi dicat, Chriſtus quidem mortuus eſt pro peccatis totius mundi, ſed homines debent ſibi ipſis applicare meritum mortis Chriſti, non tantum fide ſed etiam Sacramentis, bonis operibus, officijs & exercitijs proprijs, ut per Miſſam, inuocationem ſanctorum, uitam Monaſticam, peregrimationem, Indulgentiam, ieiunium, quibus nugis hic libellus Interim ſub finem ſcatet & abundat, ut etiam hæc Papiſtica exercitia ſint applicationes meriti & beneficij Chriſti.

CONFVTATIO,

Nos econtra ſentimus cum ſcriptura ſancta, cumq́; tota Eccleſia catholica, quod nullum opus noſtrum etiam ſanctiſsimum & in decalogo mandatū, nulla uirtus nullū officiū, uel apprehendit uel applicat nobis meritū Chriſti, ſed ſola Fides ad hoc præſtandū a Deo donatur. Iuſtificamur fide, ſpes .n. expectat pacienter ea quæ Fides apprehendit, uidelicet quod uita æterna quæ hic tantum inchoata eſt, credentibus poſt mortem formaliter donetur. Caritas uero, ſeu dilectio gratam ſe Deo & proximo oſtendit, in utraq́; Decalogi tabula, quantum poteſt non obſtante carnis imbecillitate, ſicut mulier illa peccatrix Lucæ 7, Quia remiſſa erant ei multa peccata per fidem, qua ſaluata eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Meritum igitur Paßionis Chriſti credentibus applicatur, non per caritatem, uirtutes, opera officia & exercitia credentium, quæ fructus Fidei ſunt, & non Deum in loco iuſtificationis, ſed Deum & proximum extra locum iuſtificationis reſpiciunt, ubi etiam ſicuti Dei dona ſemper ſunt magnifacienda.

Nunc ſufficiat his membris de Iuſticia, Fide caritate & applicatioue meriti Chriſti quantum ad noſtrum propoſitum attinet, oſtendiſſe, Libellum INTERIM pugnare cum loco iuſtificationis et ſummis noſtræ fidei articulis, ut ex unguibus Leonis totum ita & ex his paucis ea quæ ſequuntur uſq; ad finem ſimpliciores æſtimare facile queunt.

In ſumma, Libellus eſt tam perplexus, tam obſcurtus, tamq; intricatus,, ut interdum quid uelit cuiuis non facile innoteſcat,

Deinde etiam tam incautè & inconſideratè illa tetra mendacia congeßit, ut in multis locis ſibiipſi repugnet, id quod ἀντιλογίαι, quæ paßim inueniuntur, ſatis arguunt. Vide meam tabulam in libellum Interim, de ueris, falſis, dubijs & deprauatis ſententijs.

Proinde monemus eos qui animæ ſuæ ſaluti conſulere uolunt, & ut Apoſtolus inquit, piè in Chriſto Ieſu uiuere, ut hunc Libellum Interim tanquam rabioſißimam & uenenatißimam beſtiam

omni-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

omnibus modis fugiant & toto pectore deteſtentur, licet perſecutio etiam propterea à potentibus huius ſeculi eis expectanda ſit, qui in præfatione ſeriò prohibent, ne quis uiua uoce aut ſcriptis quicquam contra hunc Libellum tentet aut moliatur ut, ſic humana autoritate ueritas opprimatur, & impudentiſsimum Satanæ, mendacium pijs mentibus ui obtrudatur. Tu autem contra ardentius ito, ſiquidem humana eſt tentatio, Et regulas tenere neceſſe eſt, oportere Deo magis obedire quam hominibus. Item, Nolite timere eos qui corpus occidere poſſunt, ſed potius timete eum qui & corpus & animam perdere poteſt. Matth. 10.

DE OSIANDRINIS.

OSIANDRINI nomen habent ab Andrea Oſiandro, qui multis annis Noribergæ Eccleſiam Dei rexit, & quidem cum magna laude doctoris titulum geſsit, Præſertim cum Lutheranæ doctrinæ per omnia aſſentiri & eam ſequi, uiuo Luthero plærisq; uiſum eſſet. Sed paulo poſt cum relicta Noriberga uocatus eſſet ad gubernationem Eccleſiæ Dei, in Pruſsia circiter annum Chriſti ~~1550~~ 1549. nouum & inuſitatum dogma propoſuit, uidelicet Iuſtificari hominem non fide, ſed eſſentiali Iuſticia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Chriſti in nobis habitante. Idq́ꝫ contra uerbum incarnatum, contra Chriſti humanitatem mortem eius, precioſum ſanguinem & meritum, quæ omnia magno ſupercilio deriſit, ut Lutherum etiam eandem habuiſſe opinionem contenderit, ita ut à ſuis collegis primum, Deinde ab alijs in tota Germania uiris doctiſsimis, & ſeorſim à Philippo Melanthone (quem indignè ſuis prouocationibus & inuectionibus proſcidit) ſit fortiter oppugnatus, Donec editis contra aduerſarios aliquot ſcriptis non ſine contumelijs & opprobrijs ipſorum, nec uulgaribus in Pruſsia & uicinis Regionibus, turbis excitatis, Ipſe tandem ſine reſipiſcentia & emendatione ſui erroris plane mutus ut beſtia horribiliter extinctus ſit, Anno poſt natum Chriſtum 1552. 17. Octobris. Quia autem ipſius erroneum dogma non tantum à multis refutatum eſt, ſed etiam ab Eccleſia Chriſti prorſus eiectum & exploſum, Ego hic breuior ero & primum Oſiandri deliria recitabo.

Deinde confutationes neceſſarias & ueras addam.

ERRORES OSIANDRI.

I.

Fides non eſt pars pœnitentiæ.

II.

Chriſtus futurus fuiſſet homo, Etiamſi Adam non lapſus fuiſſet.

Humanæ

III.

Humanitas Chriſti non eſt principalis cauſa, quod uenerit in mundum ad redimendum nos.

IIII.

Niſi Chriſtus ſecundum ſuam naturam eſſet imago Dei, nullus alius uir quicunq; tandem eſſet, dici poſſet imago Dei.

V.

Nec humanitas Chriſti, nec ipſius erga patrem obedientia uſq; ad mortem crucis eſt noſtra iuſticia: Sed Eſſentialis iuſticia Chriſti eſt noſtra iuſticia.

VI.

Chriſtus eſt iuſticia noſtra non quia legem impleuit, ſed quia iuſtus eſt ab æterno patre.

VII.

Vna eſt iuſticia, qua ſimul Deus & homo iuſtus eſt, Et eadem eſt iuſticia Dei, qua ipſe iuſtus eſt, & iuſticia Fidei qua credentes iuſtificantur.

VIII.

Homines non reputanter iuſti, propter remiſſionem peccatorum, ſed propter iuſticiam Chriſti per fidem in nobis habitantis.

Iuſticia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

IX.

Iuſticia fidei ſeu iuſtificatio noſtri coram Deo, non eſt remiſsio peccatorum, nec mundatio à peccatis in ſanguine Chriſti multo minus ipſe Chriſtus ſua obedientia, paſsione & morte.

X.

Chriſtus non nobis ſed ſibi meruit, nec fuit principalis cauſa humanitatis Chriſti redimere nos & ſaluare.

XI.

Chriſtus impleuit legem, item paſſus & mortuus eſt ante 1 5 5 0. annos. Ideo ipſius impletio, paſsio & mors, non poſſunt eſſe noſtri Iuſtificatio, ſed tantum Redemptio & Satisfactio.

Hæc & ſimilia fingit Oſiander extra & contra ſcripturam ſacram, ut uere ſit nouum dogma pro cuius tamen fundamento ſtabiliendo multos locos, non tantum ex ſcriptura, ſed inſuper etiam ex ſanctorum patrum adducit, Sed omnia corrupta & deprauata ſunt in patribus & Luthero, ſicut & loci quos ex ſcriptura ſacra citat. Deinde non paucis ſimilitudinibus, ratiocinationibus, tortuoſis ac ſinuoſis quæſtionibus, phraſibus perperam intellectis & uocibus non rectè explicatis, rem illuſtrare fruſtra conatur. His enim omnibus refertus eſt Liber Oſiandri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Oſiandri, cui ſplendidum titulum inſcripſit, nempe, de Mediatore Chriſto & de Iuſtificatione Fidei.

Porro ſectatores Oſiandri, ludunt his argumentis ut plurimum.

I.

Solus Deus eſt bonus.

Ergo ſolus Deus eſt Iuſticia.

II.

Miſericordia iuſtificat.

Miſericordia eſt eſſentia Dei.

Erga eſſentia Dei iuſtificat.

III.

Iuſticia eſt quod facit nos iuſta facere.

Eſſentia diuina facit nos iuſta facere,.

Ergo Eſſentia diuina eſt noſtra Iuſticia.

IIII.

Daniel inquit 9. Cap. Adducetur Iuſticia ſempiterna:

Solus Deus eſt æternus.

Ergo ſolus Deus eſt iuſticia.

V.

Daniel nominat Iuſticiam ſempiternam.

Remiſſio peccatorum non eſt Vita æterna, ut iſti dicunt.

Ergo Remiſſio peccatorum non eſt iuſticia.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Sed hæc & ſimilia argumenta ſoluit ac refutat Philippus Melanthon in nouiſsima enarratione Epiſtolæ Pauli ad Romanos, quæ edita eſt Anno 1556. ſeorſim in 3. Cap. ſub litera K: Item Iohannes Brentius, & præter hos duos, alij quoq; doctiſsimi uiri contra deliria Doctoris Oſiandri ſcripſerunt, ut ſeorſim & præcipuè inter alios omnes D. Ioachimus Morlinus. Item, Iuſtus Menius & alij quoq; præſtantiſsimi uiri, quos edito libro formoſo, cui nomen indidit Schmeckbier ſalſe deridet & tanquam ebrius contra ſobrios crapulam ſuam fœdiſsimam eructat ac euomit, ita ut ſplenem Cachinnis & irriſionibus idoneum habuiſſe uideatur.

Cum hæc ita ſe habere ueritas ipſa clamet, quod Oſiandri dogma erroneum ſit ac ſicut peſtilentiſsimum Diaboli uenenum à doctiſsimis uiris confutatum, Ego tantum unam atq; alteram ipſius propoſitionem, quantum ad noſtrum inſtitutum ſufficere uidebitur, breuiter attingam.

Prima propoſitio habet quod Fides non ſit pars ueræ pœnitentiæ, quod ſiquidem maximè pugnat cum loco de pœnitentia & de Iuſtificatione hominis coram Deo neceſſarium eſt ut confutetur.

CONFVTATIO.

Cum Iuſtificatio ſit acceptio remiſsionis peccatorum

catorum et reconciliationis ſeu acceptationis coram Deo per Fidem in mediatorem. in qua fit ſimul uiuificatio per Filium Dei, complecti omnia beneficia Meßiæ neceſſe eſt. Nec diuellenda eſt Remißio á præſenti conuerſione, nec fides ab ipſa pænitentia. Quid enim magis abſurdum eſt, quam hoc quod fingit Oſiander, uidelicet, Nerone uel alio cuiuis impijßimo homini remißa quidem eſſe peccata: Sed damnari talem quianon habet iuſticiam Eſſentialem Chriſti. Quis hic non cohorreſcat ad tales uoces? cum impijs non remittantur peccata, Quia neq; pœnitentiam agunt, ſeu conuertuntur ad Deũ neq; credunt in Chriſtum Mediatorem, Iuſtus enim ut Abacuc 2. dicitur fide ſua uiuit. Iuſtus, id eſt, Iuſtificatus iuſticia promiſſa propter Mediatorem & acceptus ad uitam æternam, Is fide ſua uiuit, quia iuſticia cum fide accipitur & ſimul fit uiuificatio & donatio uitæ æternæ cum pace coram Deo, ut Paulus ait. Iuſtificati fide pacem habemus cum Deo. Item, Qui habet Filium, habet uitam æternam. Quare? Quia habere Filium eſt accipere remißionem peccatorum, reconciliationem & imputationem Iuſtiæ per Mediatorem, & uiuificari per eum.

Deinde, Quinta propoſitio eſt principalis inter Oſiandri deliria quod uidelicet noſtram Iuſtificationem corã Deo derogat humanitati Chriſti, ſeu obedientiæ ipſius erga patrem & tribuit eam Eſſentiali Iuſticiæ Chriſti.

Neceſſe

Neceſſe eſt igitur, ut hæc falſa opinio quæ gignit reliquas omnes uel maximè refutetur uel confundatur.

CONFVTATIO.

Primum conſtat ex ſcriptura ſacra uerum eſſe, quod Iuſticia fidei, quam Chriſtus acquiſiuit ſua obedientia, ſua Legis impletione, ſua paßione morte & ſanguine cum hic in terris ageret, ſua glorioſa humanitate, ſit uera Iuſticia, qua pœnitentiam agens impius coram Deo iuſtificatur, Roma. 3. Sed Oſiander aliam pijs omnibus & Eccleſiæ Dei iuſticiam (nempe iuſticiam eſſentialem Chriſti, qua Chriſtus ipſe iuſtus filius, à iuſto patre genitus eſt ab æterno iuſticiam inquam diuinitatis ſeu deitatis) ingerere & obtrudere conatur. Idq́; nouo quodam modo, uidelicet, quod Chriſtus Saluator noſter applicet pœnitentibus (per hoc quod habitet in eis Eſſentialis iuſticia qua formaliter iuſti facti, peccatum quod reliquum eſt in carne mortificare, expurgare & totaliter in hac uita deſtruere queant modo ſequi uelint folio 6. 4. quodq́; ſit obedientia Chriſti qua Legem totam impleuit perfectißime.

Deinde paßio, mors & effußio ſanguinis. cum reliquis ipſius beneficijs, tantum fructus Eſſentialis Iuſticiæ Chriſti ſunt, quibus beneficijs & meritis Chriſti, negat nos iuſtificari poſſe.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Sed nouum ac inauditum prius dogma ſparӡit Oſiander uidelicet quod homo peccator iuſtificetur ſeu iuſtus fiat formaliter propter Eſſentialem iuſticiam Chriſti, nempe qua iuſtus eſt ipſemet ab æterno pro ſe & pro ſua perſona in diuinitate cum patre & Spiritu ſancto. Nihil enim tale patefactum eſt in ſcriptura Sacra à Deo, nec ullus locus omnium quos citat mentionem facit Eſſentialis iuſticiæ, quod ea ſit noſtra iuſticia uel infuſa, uel applicata, uel data.

Porro cum prolixum ſit omnes locos ab Oſiandro citatos commemorare duos tantũ proponam folio 3. quos non rectè conuertit, quorum alter eſt Matth. 22. ſcilicet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Alter eſt. 1. Ioha. 4. Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, manet in Deo.

Ex his duobus locis non rectè connexis & copulatis, extruit hoc argumentum.

Caritas in Lege requiritur.
Deus eſt Caritas.
Ergo Deus in Lege requiritur.

Reſpondeo, Negatur conſequentia & ratio eſt: Erroris genitrix eſt Aequiuocatio ſemper.

Eſt enim Aequiuocatio in uocabulo caritatis. Nam in Maiori ſignificat noſtram dilectionem ſeu caritatem erga Deum: Diliges dominum Deum

tuum: In Minori ſignificat caritatem Dei erga nos, Deus caritas eſt, id eſt, Deus nos diligit, ut & nos exemplo Dei cum ſimus in Deo, & ipſe in nobis maneamus erga Deum & proximum in noſtra caritate, ſicut ipſe manet in ſua, qua nos diligit. Rom. 5: Commendauit Deus caritatem erga nos. Et Rom. 8: Quis ſeparabit nos à dilectione Dei? Scilicet qua nos diligit.

Falſum eſt ergo, quod Oſiander uult inferre & extruere ſuper hoc fundamentum, ſcilicet Legem requirere Deum ipſum, Et per conſequens Eſſentialem iuſticiam Chriſti, quod ipſa nobis propterea applicari debeat. Quia Lex à Deo data non requirit Deum, qui eſt ſupra Legem quam dedit, nec ſub Lege, Sed requirit obedientiam omnium hominum, erga Deum, & dilectionem perfectam erga Deum & proximum, quam obedientiam & dilectionem quia nos filij Adæ præſtare non poſſumus, Filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus factus eſt ſub Legem ratione humanitatis ſuæ, Gala. 3. Item factus eſt obediens patri uſq; ad mortem, Philip. 2. Scilicet ea obedientia, qua nos deberemus obedire Deo. Item Factus eſt maledictum pro nobis.

Hinc oritur alia Iuſticia Chriſti, quam Eſſentialis illa. Diuinitas enim CHRISTI non eſt facta ſub Legem, nec obediens facta eſt patri uſque ad mortem nec facta eſt maledictum, ut ſic

ad

Eſſentialis iuſticia Chriſti fieret noſtra Iuſticia, quæ Eſſentialis Iuſticia ſolius eſt Trinitatis propria, nobis uero incommunicabilis. Nam hæc eſt iuſticia, qua Chriſtus patrem uocat Iuſtum. Iohan. 17. pater iuſte &c. Ergo & Filius & Spiritus ſanctus eſt iuſtus Eſſentiali Iuſticia. Deus pater uero Chriſtum uocat iuſtum, ſed interea etiam ſeruum Eſaie. 53. Ipſe iuſtus, ſeruus meus. Hæc eſt iuſticia non illa Eſſentialis filij, ſed Chriſti ſerui iuſticia, quæ noſtra fit & nobis attribuitur, cum apprehendimus eam per Fidem.

Quamuis autem Lex reipſa eſt ſapientia & iuſticia in Deo nobis patefacta, & poſtulans conformitatem, nec eſt iuſticia Eſſentialis ſine Lege, ſed reipſa eſt ſapientia & iuſticia Legis in Deo, tamen eſt alia iuſticia qua nos iuſtificamur, uidelicet, quam Paulus ad Roma 3. uocat Iuſticiam ſine Lege, hoc eſt, Iuſticiam promiſſam propter Mediatorem & imputatam nobis, etiamſi Legis Iuſticia non eſt in nobis & legi ualde diſsimiles ſumus, ſicut Dauid clamat: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, id eſt nullus.

Ibi uidet Propheta ſe diſsimilem eſſe Legi, recipi autem ſe & iuſtum id eſt acceptum eſſe propter Mediatorem.

Annunciatur ergo promißio Gratiæ ſeu Euãgelij, quæ non eſt iuſticia Legis, nec datur propter Legem, nec propter opera noſtra, nec propter Qualitates & uirtutes noſtras.

Nihil eſt itaq; quod Oſiander offundit caliginem oculis piorum, interpretans iuſticiam Dei eſſe iuſticiam Eſſentialem, quæ eſt in Deo, ſeu quæ eſt ipſe Deus, cum reliquis nugis ab eo confictis de iuſticia Tropica, quodq; Chriſtus tantum per Accidens nos iuſtificet. Item, quod per Monaſticam ſynecbdochen præpatiuè & inchoatiuè tantum iuſtificemur, ut fides nos præpararet, & deinde alia re ſimus iuſti ſcilicet nouitate, quod falſißimum eſt, cum ipſa nouitas Fidem ſequatur in homine iuſtificato, qui factus eſt templum Dei.

Nam Deus habitat in conuerſis & renatis qui ſunt iuſti fide gratis propter obedientiam Mediatoris non propter ſequentem nouitatem aut iuſticiam Eſſentialem.

Vndecima ſeu ultima propoſitio continet, quod Chriſti paßio & mors ſit tantum Redemptio & Satisfactio, non autem Iuſtificatio noſtri.

CONFVTATIO.

Oſiander allegat aliquot locos de noſtri Re-
demptio

demptione & reconciliatione, quos tamen derogat noſtræ iuſtificationi,quod minus rectè fit, Nam redemptio,reconciliatio, Remiſsio peccatorum & Iuſtificatio diſtingui quidem, ſed nullo modo à ſe inuicem ſeparari debent, ſicut enim redempti ſumus precioſo ſanguine Chriſti per Fidem,ſicut Paulus inquit,Roma. 3. In ſanguine ipſius, Et Cap. 4: Definit iuſtificationem eſſe Remiſsionem Peccatorum ex Pſalmo 32. Beati quorum remiſsæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata.

Porro tempus non ſeparat Iuſtificationem à redemptione & reconciliatione, quos enim prædeſtinauauit hos & uocauit ad Roma. 8. Omnes homines in ueteri teſtamento quotquot ſunt iuſtificati, iuſtificati ſunt ſanguine CHRISTI, ſicut & reconciliati,qui crediderunt in uenturū ſemen,quod redempturum eſſet totum genus humanum à peccato, Diabolo & æterna condemnatione.

Eodem modo & medio iuſtificati ſunt, omnes in nouo teſtamento quotquot iuſtificati ſunt uidelicet ſanguine Chriſti, Quia crediderunt & etiamnum credunt ſuperſtites in Chriſtum, qui ſanguinem ſuum effudit in remiſsionem peccatorum. Sic quicunque ante nos uixerunt CHRISTIANI quicunque adhuc uiuunt, & quicunque adhuc uicturi ſunt in hac uita CHRISTIANI uſq; ad extremum diem omnes uno & eodem modo &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

medio iuſtificantur, uidelicet precioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu per hoc quod ipſe Legem impleuit, & factus obediens patri effudit ſanguinem ſuum pro peccatis totius generis humani, etiamſi ſinguli ſuo tempore credunt, & per fidem apprehendunt iuſticiam Chriſti, imo paruuli & infantes Baptizati ſunt etiam ſanguine Chriſti, & ſicut redempti ſunt, ita & iuſtificati. Chriſtus enim per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſanctum ſanctorum, æternam redemptionem nobis acquirens, ad Hebre. 9. Sic cap. 10. In qua uoluntate (aures mihi perfodiſti, & dixi ecce adſum) Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et ad Ro. 3. Iuſtificati per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc ergo non ſunt ſeiungenda.

Quapropter erroneum dogma eſt, quod Oſiander ſpargit de ſeparatione iuſtificationis à Redemptione & reconciliatione.

Deinde etiam quod negat nos iuſtificari morte Chriſti, quia mortuus eſt ante 1500. annos, cum tamen pacificauerit per ſanguinem crucis ſuæ tam qui in terra, quam qui in cœlis ſunt Coloſſ. 1.

Loci igitur citati de Redemptione & reconciliatione debent etiam intelligi de Iuſtificatione. Nam in Chriſto Ieſu crucifixo redempti, reconciliati, iuſtificati & liberati ſunt omnes filij Adæ quotquot hactenus crediderunt ab initio mundi, quotquot iam

credunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

credunt, & quotquot credituri ſunt uſq; ad conſummationem ſeculi, pro quibus Chriſtus etiam orauit Iohan 17. Chriſtus enim heri & hodie, ipſe etiam in ſecula, ad Hebræ. 13. Et agnus occiſus eſt ab origine mundi Apocalip. 13.

Reliquas propoſitiones Oſiandri falſas & erroneas omitto, Deinde locos omnes citatos ex ſcriptura ſacra & petulanter deprauatos. Adhæc ſimilitudines omnes, ut de illo qui liberatus eſt ex ſeruitute Turcica, de Curru, de Antiquo calceo, de Lucerna incenſa, de homine tantum aliqua ex parte cognito, de uite et racemis, de falſis Iudicibus, de Furibus, de Scipione, de doctore promoto, de calice.

Præterea quoq; ratiocinationes omnes uolens prætereo, ut à tempore, à perſona Chriſti ad ipſius naturam, ab Eſſentiali iuſticia Chriſti, ad Chriſtum Deum. Item, Quæſtiones, phraſes & uoces perperam explicatas. Hæc inquam omnia breuitatis cauſa prorſus omitto, & quia non omnia ad noſtrum propoſitum faciunt: & quia paßim ab alijs confutata ſunt,

Cum autem hæc deliria collecta ſunt ab Oſiandro ideo, ut fidem ſuam confiteatur & libellum uocet ſuæ fidei confeßionem, ſubiungam ueram fidei confeßionem contra fidem Oſiandri, idq; breuiter in hunc modum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Hæc eſt fides noſtra Catholica, quod Chriſtus Ieſus Deus & Homo uarijs & mirabilibus donis & myſterijs ſuæ incarnationis donatus & ornatus, conceptus eſt ex Spiritu ſancto, natus ex Maria uirgine & progreſſus eſt in ſua glorioſa humanitate purè & incontaminatè, nec particeps noſtræ impuræ & ſordidæ naturæ legem adimpleuit, in uera erga Deum obedientia, qua ſemetipſum obtulit patri, factus uictima pro nobis, paſſus, mortuus & ſepultus deſcendit ut triumphator ad inferos, contriuit caput Serpentis, reſurrexit, aſcendit in cœlum, exaltatus ad dextram patris intercedit & interpellat pro nobis, noſtra Iehoua, mediator, aduocatus, pontifex Reconciliator, ſanctificator, Redemptor, Iuſtificator, ſatisfactor, uia, ueritas & uita noſtra, petra, Theſaurus, fons, uerbum uitæ, Filius Dei ſeu λόγος & Siloh, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem nos gratiam & miſericordiam Dei patris per Euangeliū ſcilicet, cōſecuti ſumus, Iuſtificati gratis per Gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatorem, per fidem in ſanguine ipſius, ut oſtenderet iuſticiam ſuam propter remiſſionem præcedentium delictorum, quæ tollerauit Deus, ut oſtenderet iuſticiam ſuam in hoc mundo, ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui fide apprehendit miſericordiam ipſius, cui cum patre & Spiritu ſancto ſit Laus, gloria & gratiarum actio in ſecula ſeculorum, Amen.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

DE SERVETO.

Diu fuit Lutetiæ Michael Seruetus Hiſpanus, poſtea in Africam traiecit, ut ibi linguam Saracenicam diſceret, & Mahometi Alcoranum ſua lingua legeret, poſtea in oram Galliæ redijt, ubi Geneua eſt, ac libros edidit rabioſè ſcriptos, qui prorſus transformant Eccleſiarum noſtrarum doctrinam in Mahometicam. Affirmat Deum eſſe unicam perſonam ſeu unicum ὑφιστάμενον, & hanc unicam perſonam eſſe creatricem mundi.

Negat in Chriſto nato ex uirgine duas eſſe naturas, & λόγον in primo capite Iohannis interpretatur de doctrina ſeu de promiſsione. Initio ait traditam eſſe uocem doctrinæ ſeu promiſsionis, poſtea hominem Chriſtum natum eſſe, qui ſit res promiſſa in λόγῳ, in doctrina antea edita, uel ſit organum per quod promiſsio declaretur.

Poſtea de peccato & de Iuſticia tantum loquitur, ut Phariſæi & Philoſophi, Ac reipſa totum doctrinæ Serueti corpus eſt Mahometicum. Nec tantum à Mahometo hæ blaſphemiæ ſparſæ ſunt, ſed ſtatim Apoſtolorum tempore Ebion & Cerinthus, deinde Samoſatenus, Photinus & alij multi diuinitatem filij oppugnarunt, etiamſi alij magis, alij minus aſtutè pinxerunt prophanas imaginationes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Sciant autem pij Symbola tradita ad huius ſui articuli illuſtrationem, Et quærant firmiſsima teſtimonia in ſcriptis Propheticis et Apoſtolicis, præſertim illa quæ adſirmant filium eſſe adſumptionem naturæ humanæ, ut cum dicit: Antequam Abraham natus eſt, ego. Et Paulus adſirmat Chriſtum adfuiſſe populo in deſerto. Item Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus, uidelicet omnes ſancti, inde uſq; ab Adam. Et adiungantur teſtimonia de omnipotentia Filij.

Adhuc uagantur nebulones ſimiles Serueti Thammerus & Conyza, quod eo narro, ut omnes uitent contagia, & maiore cura fontes doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ diſcant.

Fuit in Polonia aliquandiu Stancarus Italus homo maledicus & cupidiſsimus rixarum, qui cum in Ebrea lingua doctus ſit, nimium amat ſuos Rabinos & infectus eſt contagijs Rabinorum.

DE CASPARI STENKfeldio.

De hoc Suermerio Philippus Melanthon in ſua præfatione, ſuper Enarrationem Epiſtolæ ad Romanos, quæ nouiſsimè edita eſt, ſic ſcribit. Inferunt nobis bella, fanatici homines, inimici miniſterij publici. Anipabtiſtæ & multi errones & Lucifugæ, ſpare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

gæ, ſpargentes contagia Seruetica, Et Stenkfeldius centimanus eſt, habet milites paßim, qui ipſius nomine non ſolum ſcripta ſpargunt, ſed etiam ſeditiones mouent, iactitant adflatus, & abducunt homines à publico miniſterio, & à lectione & cogitatione doctrinæ cœleſtis, ac nunc quoque aduerſum me editis aliquot pagellis nomine Stenkſeldij repetitur ille κόκκυσμος gratißima cantilena fanaticis hominibus: Non cogitatione ſcriptæ doctrinæ Deum communicare ſe hominum mentibus, ſed ſine medio. At toties iubent nos Propheticæ & Apoſtolicæ ſententiæ in omnibus doloribus, in teſtimonijs ſcriptæ doctrinæ uoluntatem Dei conſiderare, ſicut in Pſalmo dicitur: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Nec ego ignoro, quomodo hæc dicta illudant ſed nunc omitto diſputationem, Hæc Philippus. Plura leguntur apud alios pios doctores, de huius Stenkfeldij dogmate peßimo, ſeorſim uero legatur præfatio Illyrici in uenenatam Epiſtolam Guilhelmi cuiuſdã Poſtelli, ſeu potius Apoſtolus Stenkſeldij, qui moratur Venetijs, uel in uicinis illis locis lucifuga.

Summa erroris Stenkſeldij hæc eſt:

I.

Reijcit uocale uerbum & totum uerbi miniſterium, Anabaptiſtarum more.

II.

Reijcit lectionem & cogitationem doctrinæ contra Pauli adhortationem ad Timoth. 1. Attende

lectio

lectioni, doctrinæ & conſolationi. Item Iohan. 5.
Scrutamini ſcripturas.

III.

Deum ſe communicare mentibus hominum, non cogitatione ſcriptæ doctrinæ, ſed ſine medio, contra ſcripturarum conſolationem Roma. 15.

IIII.

Sacrarum literarum autoritatem confringit conculcat & amouet.

V.

Integrum Chaos nouarum reuelationum inter miſeros effundit mortales.

VI.

Contempta, amota & abiecta uerbi Dei luce miſeris hominibus omnium errorum ſomnia & Phantaſmata pro cœleſti & ſalutifera ueritate obtrudit.

VII.

Literas ſacras non eſſe uerbum Dei adfirmat ſed incertas & flexibiles.

VIII.

Docet Fidem non pendere ex Sacris literis nec augeri nec confirmari, Imo nec eas ſequi, nec ad illas ſe accommodare, ſed literas ſacras ad ipſam Fidem inflecti debere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Hæc & ſimilia Satan per Stenkfeldium agit, ut ſic in infernales ſuos labyrinthos homines incautos & ſimplices præcipitet.

DE POSTELLO.

De Poſtello nihil dicam propter obſcœnitatem ut pijs auribus parcatur, niſi hoc tantum quod Stenkfeldius tanquam præcurſor Poſtelli cœpit anno Domini 1556. Sacrarum literarum autoritatem uiolentius & manifeſtius oppugnare, ſuiſq; ſomnijs & deliramentis Satanæ fores ac feneſtras aperire. Poſtellus uero circa annum 1550. cœpit tam tetra mouere Venetijs, ut indignum ſit pijs hæc reuelare, ut de trinitate mundi, corporis & animarum, De ueneta Virgine ſeu ſcorto potius, de Chriſto intoxicato, De matre mundi, ut merito uocetur Poſtellus cloaca Satanæ cum omnibus ſuis ſcriptis.

DE MATHIA LAUTERVVALD.

Prætereo quoq; Mathiam Lauterwald, qui poſtquam in inclyta VVitebergenſi Academia optimas artes & doctrinam de Deo didicerat, & docuerat ſtudioſam iuuentutem in Academia Regimontana, ſeq; Oſiandro fortiter oppoſuerat propoſitionibus contrarijs publicè propoſitis, quibus Oſiandri doctrinam de Iuſtificatione nouam prorſus et uerbo Dei contrariam, præterea etiam ab unanimi conſenſu doctrinæ Vuitebergenſium Eccleſiarum alienam,

tam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

confutauit.Hic inquam Mathias ueniens in Vngariam,excitauit nouos tumultus contra iuſtificationẽ Fidei,anno 1554.negans ſolam Fidem habere promiſsionem gratuitã.Item negans ſolã fidem accipere Remiſsionemm peccatorum,ſed addi oportere contritionẽ et alia bona opera,cũ quibus fides accipiat remiſsionem peccatorum, ac habeat promiſsionem gratuitam.

Cæterũ quia Philippus Melanthon, & Vitebergenſes longo ſcripto eum admonuerunt,et Iuſtificationẽ Fidei egregie declararunt, additis etiam comminationibus ,ſi nec eorũ iudicio,nec aliarũ Eccleſiarũ ſententijs acquieſcere uellet ad communem in Eccleſia conſenſum tuendũ,ſe ab Euangelij miniſterio per ſenatum remotum ire ſpero reſipuiſſe eum, præſertim cum altum ſit nunc de eo ſilentium.

Deniq; cum Papiſticus error ſupra ſit refutatus, ego hic diutius immorari nolo, cum etiam poſsibile non ſit de ſingulis prolixius agere,cum ſint innumerabiles, qui & ante & poſt mortem Lutheri talia tentauerũt,ut purã Euãgelij doctrinã ſuis figmentis labefactarunt nõ tantũ Suermerij, ut Stenkfeldius, Poſtellus,Bernerus,Krautualdus & ſimiles Diaboli ſatellites,ſed etiam pontificij ſcriptores,inſtructi ingenijs,eloquentia & autoritate,Eccleſiã Dei impugnarũt,quorũ nonnullos recitat Philippus Melanthon in præfatione cõmentariorũ Epiſtolæ ad Romanos, ut Polũ in Anglia,Oſium in Polonia,Canuſium in

Auſtria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Auſtria,Roardum in Belgico, Groperum Cardinale in Vbijs,præter alios multos,qui quotidie inuitãtur opibus Pontificijs,ut ad florentē fortunā ſe adiūgāt.

Sed de his finem faciemus, hanc ſolummodo uiri Dei Lutheri ſummè neceſſariam admonitionem ſubiungentes,quā antequā ex hac mortali uita in æternam illam Dei,Prophetarū,Apoſtolorū & omniū ſanctorū conſuetudinem diſceſſit,futuram eſſe prædixit : Si deberem, ait, adhuc uiuere centum annos & non ſolum omnes fanaticos Spiritus qui hactenus fuerunt,et etiamnū hodie ſunt,ſed etiā futuros omnes uincere & expugnare,per Dei gratiam poſſem, non tamen uideo per hoc poſteritati conſultū eſſe,ut tranquillitate fruatur, cum Satan uiuat ac regnet, Quare etiā cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,uos qui futuri eſtis poſteri et ſucceſſores noſtri,Deum orate ſerio,Dei uerbū diligenter prædicate,et lucernulā Dei uentis expoſitā conſeruate. Sitis parati & armati ne Satan uobis Vitreum orbiculum ac feneſtram excutiat,oſtium ac tectum aperiat,ut lucernā ardentem exſufflet aut extinguat.

Proinde eſtote ſobrij & uigilate,Satan non dormit nec feriatur,nec moritur ante extremum diem, Ego & tu moriemur,& cum mortui fuerimus uiuet ipſe tamē,Idem qui ſemper fuit,et à perſecutione deſiſtere non poteſt.Chriſtus dominus noſter qui caput Satanæ contriuit ueniat,& nos ab ipſius tempeſtatibus finaliter liberet ac ſaluet. Amen.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1256 8° copy 1